ACTA ET DECRETA

CONCILII

PROVINCIÆ BURDIGALENSIS

IN CIVITATE AGINNENSI

CELEBRATI

ACTA ET DECRETA

CONCILII

PROVINCIÆ BURDIGALENSIS

IN CIVITATE AGINNENSI

ANNO DOMINI M. DCCC. LIX

CELEBRATI

A SANCTA SEDE RECOGNITA

AGINNI

Typis P. NOUBEL, Typographi Ill. ac RR. DD. Episcopi

M. DCCC. LX

PROMULGATIO
CONCILII AGINNENSIS.

FERDINANDUS-FRANCISCUS-AUGUSTUS DONNET,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS TITULI SANCTÆ MARIÆ *in viâ*, ARCHIEPISCOPUS BURDIGALENSIS, AQUITANIÆ PRIMAS,

CLERO ET POPULO PROVINCIÆ NOSTRÆ BURDIGALENSIS
SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN D. N. J. C.

Non alio magis tempore, Venerandi Cooperatores et carissimi in D. N. J. C. filii, sacerdotes oportuit *sanâ* imbui et innutriri *doctrinâ*[1]. Videntur enim infernæ Potestates enixiori operâ ad id intendere ut Ecclesiam commoveant, et deformatam suîque dissimilem oculis hominum proponant. Ut enim volebant Salvatorem Jesum *pro seductore turbarum*[2] et discordiarum auctore haberi, sic hodie nonnulli homines erroribus

[1] Ad. Tit. II, 1. — [2] Joan. VII, 12.

depravati ac perversi Ecclesiam, et inertiæ condemnant, quasi progressionem temporum rerumque impediat, et malæ industriæ, quasi factis quibusdam faveat quæ terrarum orbem conturbare possint.

Itaque, nunc quam maxime, intelligetis, Dilectissimi Fratres, quanti intersit ad commune omnium veritatum et virtutum, simulque omnis veræ progressionis principium accedere. Principium autem et fons, ut scitis, purus, scaturiens, inexhaustus, Ecclesia est. Quæ quidem vos per summum Pastorem alloquitur, etiamque per Episcopos præsertìm in Synodo congregatos, et quidquid doctrinæ, quidquid prudentiæ vel peritiæ è rerum usu habent, tanquàm thesaurum in medium conferentes.

Piè igitur et verecundè, necnon propenso et alacri animo, decreta quartæ hujusce Provincialis Synodi, in antiquo Agenno feliciter habitæ, accipietis; omnia quæ à vestris Episcopis præscripta sint parati facessere, quos pro dilectis Patribus habere debetis, utpotè qui vos pro dilectis unicè filiis habeant. Hos vestra fides solabitur, diligentia

adjuvabit, et ipsi circà pastoralem baculum, more gregis, stipati, *cor unum et animam unam* habentes[1], ad parandam animarum salutem, magnum opus ac difficile, simul et augendam Dei gloriam, collaborabitis.

Quòd si superbior iste et contumacior spiritus qui seculum perflat, in aures vestras insusurret grave onus et jugum esse quæ à vestris Episcopis præscripta sunt, hoc recordamini de eodem dictum à Christo Jesu : *jugum meum suave est et onus meum leve*[2], et illud fortiter et amanter *tollite super vos*. Nec immemores estote Ecclesiam, quanquàm *sit terribilis ut castrorum acies ordinata*[3], non posse tamen pacificis armis imperium suum proferre, si laxaverit ordines, neque vires et gloriam, solutâ militiæ disciplinâ, acquirere.

Quare Nos volumus et jubemus hæc Aginnensis Synodi decreta primo quoque tempore promulgari, et, ubi primum innotuerint, omnibus sive sacerdotibus, sive fidelibus pro regulâ morum haberi.

---

[1] Act. IV, 32. — [2] Math. XI, 30. — [3] Cantic. VI, 3.

Datum Burdigalæ, sub signo et sigillo nostris, ac Cancellarii nostri subscriptione, die decimâ octavâ mensis junii anni Domini millesimi octingentesimi sexagesimi.

† FERDINANDUS CARDINALIS DONNET,

Archiepiscopus Burdigalensis.

De mandato Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Burdigalensis.

FONTENEAU,

Can. hon. Sec. gen.

LITTERÆ INDICTIONIS

CONCILII PROVINCIÆ BURDIGALENSIS

IN CIVITATE AGINNENSI CELEBRANDI.

FERDINANDUS-FRANCISCUS-AUGUSTUS DONNET,

DEI ET SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS PRESBYTER TITULI SANCTÆ MARIÆ *in viâ*, ARCHIEPISCOPUS BURDIGALENSIS, AQUITANIÆ PRIMAS.

Reverendissimis Fratribus Episcopis, Clero et Populo Provinciæ Nostræ Burdigalensis, Salutem in Domino.

In tribus jàm celebratis Provinciæ Nostræ Burdigalensis Conciliis, curam omnem impendimus, ut, per varia decreta, necessitatibus et emolumento Religionis opportunè provideretur. Quod, Deo favente, obtentum fuisse, tùm ex approbatione Apostolicâ, tùm ex felici experientiâ jàm nobis compertum est.

Intereà tamen, quia, labente tempore, nova mala prodeunt, et vetera renascuntur, cumque insuper continuâ opus sit sollicitudine, ut bona procurata stabiliantur et proficiant; ideò per SS. Concilium Tridentinum sapienter et providè cautum est ut *quolibet triennio* Synodi per Metropolitam cogantur *pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis.*

Huic Ecclesiæ mandato cum gaudio obsecuti, in Nostrâ ultimâ Provinciali Synodo, Petrocoræ tribus abhinc annis celebratâ, statuimus et decrevimus ut, anno præsenti, novum, in civitate Aginnensi, Provinciæ Nostræ congregaretur et haberetur Concilium.

Ut hoc decretum executioni demandetur, munusque nostrum hâc in parte adimpleamus, quartum Provinciæ Burdigalensis Concilium, in Ecclesiâ Cathedrali Aginnensi, ad diem octavum Septembris hujusce anni, in festo scilicet Nativitatis B. M. Virginis incipiendum, diebusque sequentibus continuandum et absolvendum, indicimus et per præsentes convocamus.

Quocircà Illustrissimos ac Reverendissimos Episcopos Comprovinciales nostros monemus et requirimus ut ad hoc novum Provinciale Concilium, sive per se, sive per legitimos Procuratores, cum suis respectivis theologis è clero seculari vel regulari desumptis, conveniant.

Omnibus insuper et singulis qui, de jure et consuetudine, ad Synodos Provinciales vocandi sunt, mandamus et præcipimus ut die præfixo huic Concilio curent adesse.

Itàque Capitulum Ecclesiæ nostræ Primatialis, simulque cætera Capitula Cathedralia Provinciæ Nostræ Burdigalensis noverint se per præsentes moneri et convocari, quatenùs legitimè congregati Canonicum saltem unum è gremio electum delegare studeant et ad Concilium deputare.

Quapropter Illustrissimos ac Reverendissimos Fratres nostros rogamus ut præsentis mandati copiam facere curent Capitulis suis.

Et pios Fideles hortamur ut assiduis precibus à Deo, qui pater est luminum et à quo bona cuncta procedunt, virtutem implorent Spiritûs Sancti, cujus ope et gratiâ ea per Concilium

decernantur quæ fidei stabiliendæ aut vindicandæ, malis præcavendis aut corrigendis, bonis moribus tuendis, pietati et caritati fovendis utiliter et fructuosè inserviant.

Datum Burdigalæ, in Palatio nostro, sub signo sigilloque nostris, ac Secretarii Archiepiscopatûs nostri subscriptione, die vigesimâ nonâ Aprilis, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo nono.

† FERDINANDUS CARDINALIS DONNET,

Archiepiscopus Burdigalensis.

De mandato RR. ac Eminentissimi
Cardinalis Archiepiscopi,

FONTENEAU, *Can. hon. Secr.*

LITTERÆ

SS. PII PAPÆ IX

EMINENTISSIMO CARDINALI

ARCHIEPISCOPO BURDIGALENSI

ET EPISCOPIS EJUS SUFFRAGANEIS

SUPER RECEPTO EXEMPLARI PRIMI DECRETI CONCILII AGINNENSIS.

Dilecto Filio Nostro Ferdinando S. R. E. Presbytero Cardinali DONNET, Archiepiscopo Burdigalensi, et Venerabilibus Fratribus Episcopis ejus Suffraganeis.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili Noster, ac Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Nuper ad Nos pervenerunt vestræ gratissimæ Litteræ, die 11 proximi mensis septembris datæ, quibus, Dilecte Fili Noster, ac Venerabiles Fratres, Nobis misistis exemplar Decreti, quod in provinciali Synodo congregati de sancta Sede Apostolica et Romano Pontifice conficiendum vulgandumque curastis. Verbis explicare vix possumus

qua consolatione affecti fuerimus inter maximas nostras angustias, cum idem decretum legerimus. In illo enim undique mirifice elucet singularis ac perspecta vestra erga Nos, et hanc Apostolicam Sedem fides, pietas et observantia, atque omni ex parte se ostendit egregium sane studium, quo civilem Nostrum, et ejusdem Sedis principatum, veluti Beati Petri patrimonium strenue defendere, et à variis inimicorum hominum calumniis vindicare contenditis. Dum autem de hac insigni vestra religione et virtute summis certe laudibus digna Vobis, Dilecte Fili Noster, ac Venerabiles Fratres, ex animo vehementer gratulamur, à Vobis etiam atque etiam exposcimus ut in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate pergatis majore usque alacritate studioque præliari prælia Domini, omnesque gravissimi vestri episcopalis ministerii partes sedulo implere. Ne desinatis unquam tum voce, tum scriptis, tum aliis quibusque opportunis modis catholicæ Ecclesiæ causam fortiter tueri, ejusque salutiferam doctrinam magis in dies propagare, eamque in omnium animis alte defigere, ac tot exitialium errorum

tenebras dispellere, et insidiantium hominum fallacias detegere, refellere, et miseros errantes ad veritatis, justitiæ, salutisque semitas reducere. Certi autem sumus, Vos fervidas Deo Optimo Maximo sine intermissione preces esse adhibituros, ut omnipotenti sua virtute velit Nos confortare et consolari in omni tribulatione Nostra. Nos quidem haud omittimus ipsum clementissimum miserationum Dominum humiliter enixèque orare et obsecrare, ut uberrima quæque suæ Bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quæ in dilectas quoque oves vestræ vigilantiæ commissas copiose descendant. Atque horum auspicem, et præcipuæ, qua Vos prosequimur, benevolentiæ testem, Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Dilecte Fili Noster, ac Venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 3 Octobris anno 1859.

Pontificatûs Nostri anno decimo quarto.

PIUS PP. IX.

LITTERÆ

EMINENTISSIMI CARDINALIS

ARCHIESPISCOPI BURDIGALENSIS

QUIBUS DECRETA CONCILII AGINNENSIS

SUMMI PONTIFICIS

REVISIONI SUBJICIUNTUR.

Burdigalæ, die 15 Novembris 1859.

Beatissime Pater,

Concilii Nostri Aginnensis primum decretum ad Sanctitatem Vestram separatìm missum, tantâque benignitate ab Eâ exceptum, quòd afflictissimo Patris Nostri cordi non mediocrem consolationem attulerit, cum provincialibus meis Episcopis plurimum gaudeo, Deumque oro atque obsecro ut, populi sui vota tandem exaudiens, hoc qualecumque grandis doloris lenimentum in pacis et triumphi lætitiam citò convertat. Cætera interim ejusdem nostri Concilii decreta, eodem spiritu

condita, eàdem animorum concordiâ coram Domino discussa, de perniciosissimis hujusce temporis erroribus, de populi christiani Clerique disciplinâ, de Studiis Ecclesiasticis, nunc Sanctitati Vestræ humiliter offero, ab Eminentissimis et sapientissimis ejus adjutoribus consideranda et recognoscenda, ut, si quid in eis emendandum vel corrigendum sit, quà solent prudentiâ et benignitate notent et signent, sicque opus cum Deo incœptum, et in civitate Aginnensi feliciter absolutum, Romæ itidem feliciter perficiatur et consummatur, et in publicam lucem prodiens ad Ecclesiæ decus et animarum amplissimæ hujus Burdigalensis Provinciæ salutem proficiat!

Hunc laboris nostri fructum ut speremus, Beatissime Pater, ipsa nobis suadet Concilii celebratio, totiusque populi Aginnensis in publicis actionibus pia exultatio. De his enim apud Sanctitatem Vestram tacere non possumus.

Aginnum nos vocabant ad quarti nostri Concilii celebrationem, tum dilectissimi nostri fratris et coepiscopi insignis pietas et senectus veneranda,

tum ipsius civitatis antiqua gloria et plurimorum Sanctorum Martyrum semper vivens memoria. Jam in primo nostro ingressu patuit omnibus Sanctorum filios non esse degeneres, qui Dei ministros tanto honore colerent et in nostra Cardinalitiâ dignitate Sanctam Sedem venerarentur. Nec suus tali initio defuit profectus. Verbo dicam: quot dies Episcopi in Seminarii secessu hospitati sunt, tot dies festos agere visa est universa civitas. In fine autem Concilii una mens fuit, una vox omnium Patribus eorumque supremo Rectori prospera omnia ferventer acclamantium. Qui fletus ex oculis, quæ vox ex pectoribus erupit, cum Sanctissimo Patri, Regi mansueto, Christi patientis Vicario, ab ingratis flagellato et spinis coronato, pacem et consolationem de Spiritu Sancto, cœleste auxilium, et de hostibus Ecclesiæ triumphum, Clerus universus et innumera fidelis populi multitudo imploravit! Tota piis gemitibus et ardentibus precibus personabat vetus Sancti Caprasii basilica, nec ulli dubium fuit his votis respondere in cœlis Beatorum Martyrum Aginnensium, cæterorumque Provinciæ nostræ

Burdigalensis Sanctorum, vel potius Beatorum omnium preces aliquando tandem à Domino exaudiendas.

Hâc eâdem spe etiam nunc erectus, ex animo sum, et quoad vixero,

SANCTITATIS VESTRÆ,

BEATISSIME PATER,

Servus obedientissimus et devotissimus filius.

† FERDINANDUS, CARDINALIS DONNET,

ARCHIEPISCOPUS BURDIGALENSIS.

LITTERÆ

EMINENTISSIMI CARDINALIS

PRÆFECTI S. CONGREGATIONIS S. CONCILII TRIDENTINI

SUPER REVISIONE

DECRETORUM CONCILII AGINNENSIS.

EME AC RME DNE OBSME,

Cum hæc S. Congregatio Tridentini juris interpres ac vindex Acta quartæ Synodi Provinciæ Burdigalensis, juxta sanctionem Const. S. M. Sixti V. incip. *Immensa*, nuperrime expenderit et recognoverit, meum est Emæ Vræ eadem remittere, unàque hisce litteris declarare, quam jucunda probataque acciderit tum SSmo D. N., cui hâc de re speciatim relatum est, tum Emis Patribus diligentia vestra in Synodalibus hujusmodi conventibus, uno quolibet recurrente triennio, ex præscripto Concilii Tridentini redintegrandis. Enim-

vero industri gnavoque agricolæ satis non est agrum suum bono lectoque frumenti semine conspargere, nisi vigili assiduoque studio malum zizania quod superseminat inimicus homo, in tempore secernat, ac stirpitùs evellat. Quod quidem exemplum egregie, vos, Eminentissime Domine, cæterique suffraganei Præsules imitati, ea, quæ rectè præteritis conciliis statuta fuerant, rata firmaque manere voluistis, prætereà saluberrima decreta addidistis, quæ hujusce temporis errores dissiparent, novellis necessitatibus remedium afferrent, ac malis ingruentibus paratum obicem opponerent. Sed inter hæc Pontifex Optimus Maximus, et Eminentissimi Patres duo potissimum capita singulari laudis elogio insigniri censuerunt; unum est, quod contra neotericos errores et conatus de civili Summi Pontificis principatu præclara multa disceptastis; alterum est, quod universo Synodalium sanctionum ædificio sanæ doctrinæ fundamenta posuistis. Quæ cum ita sint, nihil aliud superest, nisi ut omnes, quod per vos ultrò facietis, sive universìm, sive singuli in suis quisque diœcesibus, quanto consilio

2

ac sapientià consultissimas hasce præscriptiones edidistis, tanto studio et assiduitate easdem in usum deduci satagatis. Interìm Deus pro suâ miseratione perficiat, ut hæ vestræ leges iis Evangelii seminibus similes evadant, quæ (Matth. XIII, v. 8) *ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.*

Cæterum quæ paucula Emi Patres adnotârunt, prostant in adnexâ pagellâ quam unà cum hisce litteris accipies.

Hæc habe nomine S. Congregationis cui præsum : ego vero, quod ad me singulariter attinet, impensos observantiæ meæ sensus ex animo profiteor Emæ Tuæ, cui manus humillime deosculor.

EMÆ VRÆ,

Romæ, 9 Maii 1860,

Humils et addicts Famulus.

A. M. CARDINALIS CAGIANO, PRÆFECTUS.

A. QUAGLIA, *Secretarius.*

DECRETA
CONCILII PROVINCIÆ BURDIGALENSIS
AGINNI CELEBRATI
ANNO DOMINI M. DCCC. LIX.

TITULUS PRÆVIUS.

Decretum de aperiendâ Synodo.

In Nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritûs Sancti. — Amen.

NOS FERDINANDUS-FRANCISCUS-AUGUSTUS DONNET,

Dei et Sedis Apostolicæ gratia, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Mariæ *in viâ*, Archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniæ Primas.

Ad majorem Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi gloriam; ad honorem Immaculatæ semperque Virginis Mariæ Dei Genitricis; ad laudem Sanctorum Angelo-

rum, Sanctorum Petri Apostolorum Principis, ejusque fratris Andreæ, Stephani Protomartyris, hujus Cathedralis Ecclesiæ Patroni, Caprasii, Phæbadii, Delphini, Amandi, Severini, Paulini, Eutropii, Hilarii, Ausonii, Frontonis et Philiberti, aliorumque omnium Sanctorum qui Provinciam hanc illustrârunt; ad Burdigalensis, Petrocorensis et Sarlatensis, Aginnensis, Imæ Telluris, Pictaviensis, Engolismensis, Lucionensis, Rupellensis et Santonensis, Sancti Dyonisii, Sancti Petri et Arcis-Gallicæ Ecclesiarum decorem;

Statuimus et decernimus, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Comprovincialium nostrorum, hàc ipsâ die octavâ Septembris anni Domini millesimi octingentesimi quinquagesimi noni, in hàc Ecclesiâ Cathedrali Aginnensi, incipere et inceptum esse Concilium Provinciale quod nostrâ metropolitanâ auctoritate indiximus et convocavimus, Dominum Jesum humiliter et enixè obsecrantes ut in nobis impleat quod ipse dixit: « *Ubì sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibì sum in medio eorum.* » (Matt., XVIII, 2.)

Lecta sunt deindè decreta de modo vivendi in Synodo, et de professione fidei, prout in Concilio Burdigalensi, anno 1850, atque ab omnibus ad id adstrictis professio fidei canonicè emissa est.

TITULUS I.

De Fide et de Doctrinâ Ecclesiæ.

CAPUT I.

De Sanctâ sede Apostolicâ & de Romano Pontifice.

I. — Filiorum Ecclesiæ, imò et Pastorum, simul ut in unum conveniunt, ea debet esse communis omnium voluntas, ut oculis in Deum primùm erectis, mox ad Patrem aspiciant qui Christi vices in terras agit et pro ipso legatione fungitur. Nos verò in hâc Synodo Aginnensi feliciter congregati, ad supremum Ecclesiæ caput eò promptiùs mente et animo dirigimur, quòd ab ultimo nostro in civitate Petrocorensi Concilio, inter gravissimas subindè exortas tempestates, non defecerunt verba, decreta, allocutiones et litteræ Apostolicæ, quibus, æquè ac pacatissimis in Ecclesiæ annis, Pius Pastor gregem sibi commissum pabulo sanæ doctrinæ enutrire ac lumine boni consilii illustrare et regere non destitit. Verba hæc in corde omnium servari, hæc decreta ad populorum nostrorum notitiam deve-

nire, has litteras et constitutiones Apostolicas promulgari et in praxim adduci, erit præcipuus permultorum hujusce quarti Concilii nostri decretorum scopus. Ità enim verus elucebit ergà Sanctam Sedem noster affectus, vera semper comprobabitur ergà Pontificem Romanum et Successorem Sancti Petri filialis reverentia, si diligimus eum, et mandata ejus custodimus.

II. — Quidni verò afflictissimi Patris priora gaudia regerere fas sit? Duobus enim vix abhinc annis, dùm pro singulari suâ ergà Immaculatam Sanctissimamque Dei Genitricem Virginem Mariam pietate, religiosissimum augustissimumque Lauretanum templum venerabundus adiret, ac deindè ad invisendos Pontificiæ suæ ditionis populos primarias apostolici patrimonii civitates peragraret, omnes undiquè omnium quâcumque transivit locorum, omnes omnium ordinum, omnes omnium ætatum, tàm egregias ergà Pontificem ac Regem suum pietatis, fidei, omnimodæque observantiæ significationes manifestare lætati sunt, ut hoc ipsius iter sanctissimæ nostræ religionis pontificatûsque Romani perpetuus solemnisque videretur triumphus.

Neque omittebat intereà Pastor sagacissimus ea sive statìm et extemplò peragere ac statuere, sive memoriæ suæ ac consilio committere, quæ ad ipsorum populorum religionem magis magisque excitandam ac fovendam, atque ad majorem eorum in temporariis quoque rebus utilitatem promovendam commodaque procuranda, conducere existimabat.

Audire est verba piissimi Pontificis ac zelantissimi

Principis amplissimum Cardinalium cœtum de tot et tantis sui itineris fructibus alloquentis : « Nunquàm « verò, aiebat, desinemus in humilitate cordis nostri « Deum enixè orare et obsecrare, ut tùm populos quos « nuper invisimus, tùm alios civili hujus Apostolicæ Se- « dis principatui subjectos, uberrimis quibusque divinæ « suæ gratiæ donis volens ac propitius semper cumulet, « eosque suâ sanctissimâ fide, spe, caritate ac solidâ « pietate, omnique verâ virtute quotidiè magis repleat; « illorumque labores, industriam, commercium cœlesti « suo favore dirigat, adjuvet, fortunet, ac det illis omnem « de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam, et « ipsos carissimos nobis populos omnipotenti suâ virtute « à pestiferâ tot serpentium errorum contagione defen- « dat, atque à nefariis impiorum hominum insidiis, « fallaciis et molitionibus tueatur et eripiat[1]. »

Quod ut averteretur malum, simulque debitæ Deo gratiæ redderentur, publicas preces cum Indulgentiâ in formâ Jubilæi per universum orbem indicendas auctoritate Apostolicâ mandabat. Ex hoc autem opportunissimo Jubilæo quot quantaque religioni ac saluti animarum per multas hujusce Provinciæ partes incrementa accesserint, nemini inficiandum.

III. — Ecce autem in agrum Domini tàm vigilanter excultum *supervenit inimicus homo et superseminavit*

---

[1] Allocutio habita die 25 Septembris 1857, ad omnes Episcopos directa. *Vide ad calcem*, nº I.

zizania. Non modò enim pacem inter christianos principes turbatam ingemuit, ipsamque à Deo iterùm iterùmque efflagitandam totis viribus conclamavit Pontifex, vicariam illius gerens operam qui resurgens à mortuis et in cœlum ascendens pacem reliquit discipulis suis[1]; sed insuper ad gravissimum dolorem quo, cum bonis omnibus, propter bellum inter catholicas nationes excitatum, premebatur, maximus accessit mœror ob luctuosam rerum conversionem ac perturbationem quæ in nonnullis pontificiæ ditionis provinciis nefariâ impiorum aliquot operâ ac sacrilego prorsùs ausu nuper evenit[2].

Dùm autem in tanto rerum turbine ad fratres suos Episcopos per totum orbem sparsos sanctissimus Pontifex sese convertit, ut aliquod dolori suo solatium quærat, et jàm, ut ipse ait, ex ipsissimis suis litteris non parùm solatii percipit, confidens nempè nos desideriis curisque suis cumulatè responsuros[3]; nos equidem omni quâ possumus filialis animi observantiâ et amore, tot et tantis amantissimi Patris ac Pastoris amaritudinibus condolemus, cunctosque fideles curæ nostræ commissos enixè hortamur, ut suarum nostrarumque

---

[1] Epistola encyclica Pii Papæ IX ad omnes Episcopos, 27 Aprilis 1859. *Vide ad calcem*, nº II.

[2] Allocutio habita die 20 Junii 1859, ad omnes Episcopos directa. *Vide ad calcem*, nº IV.

[3] Epistola encyclica ad omnes Episcopos, 18 Junii 1859. *Vide ad calcem*, nº III.

precum et orationum quasi manu factâ vis Deo inferatur, sicque optatissimus ille quamprimùm elucescat dies quo et ipsos filios resipiscentes atque ad officium reductos iterùm paterno sinu regius Pastor cum gaudio excipiat, et omni perturbatione sublatâ ordinem tranquillitatemque in totâ pontificiâ ditione restitutam videre possimus.

IV. — Intereà quùm perversis quibusque fraudibus et artibus, sed præsertìm fraudolentis calumniosisque permultis editis libellis, bonorum ipsorum catholicorumque mentes à verâ sentiendi ratione nonnunquàm dimoveantur, nos cum ipsomet Summo Pontifice iterùm palàmque edicimus necessariò servandum esse Sanctæ Romanæ Sedis civilem principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit. Plenâ itaque mentis ac cordis nostri gratitudine sanctissimo Christi Vicario congratulamur, humilique quâ decet reverentiâ plaudimus et assentimur, dùm ipse palàm hoc profitetur, indutum se virtute ex alto quidvis discriminis, quidvis acerbitatis antè perpessurum quàm apostolicum ullâ ex parte deserat officium.

V. — Neque audiendi sunt captiosissimi religionis Christianæ Romanæque Ecclesiæ hostes, dùm aut asserunt Ecclesiasticum regimen temporali hominum commodo legitimisque societatis civilis progressibus, per se et naturâ rerum adversari, aut nonnisi miserrimam de facto sortem obvenire civitatibus ac populis hujuscemodi

dominatui subjectis conclamitant. Sanè, neminem fugit sacerdotalem characterem nihil præjudicii afferre iis ingenii naturæque dotibus ac viribus quibus utilis reipublicæ rector perficitur : quod quidem ratione simul et luculentâ constat experientiâ. Quæcumque enim crimina malè conficta exaggeraverint ignari aut malitiosi ac vaniloqui homines, ea certè quæ palàm in Urbis et orbis theatro patent omnibus, quæ oculis suis testes, quorum hic etiam inter nos stant plures, vidisse se asseverant, referre non piget : videlicèt, integerrimam totius publicæ rei curam; indefessam in amovendis calamitatibus, levandisque populorum ærumnis, tollendisque, si qui erant, abusibus, sollicitudinem; sobriam et cautam, ut decet, sed sinceram et diligentem eorum omnium, quibus scientia vel industria societates civiles nuperrimè dotaverunt et ornaverunt, probationem et adoptionem; parcam et providam communis ærarii œconomiam; sicque citò resarcitas civilium turbarum, fictæ et lubricæ pecuniæ feracium, clades et ruinas; nec tamen intermissam illam quæ opulentissimos reges sæpè superat magnificentiam, sive ad publicorum monumentorum decus et incrementum, sive ad Urbis veterum cœmeteriorum sumptuosissimam, doctissimam, piissimamque recognitionem [1], sive (ut tot misericordiæ opera et instituta taceamus) ad fovendas Urbis scholas et aca-

---

[1] Epistola S. Congreg. de propagandâ fide ad omnes episcopos, 12 Aprilis 1857. *Vide ad calcem*, nº V.

demias omnium gentium et ecclesiarum alumnis liberrimo accessu patentes; æquam deniquè datam omnibus merentibus rationem, sine ullâ personarum aut conditionum acceptione, sed benè et decenter servatâ, ut par est Christi Regis Vicario, Ecclesiastici ordinis ac regii sacerdotii præstantiâ. Sed quis commemorandi finis præclarè gesta, fortiter incepta, plerùmque ipsorum malis artibus impedita et turbata, qui nunc ea sibi deesse queruntur?

VI. — Faxit ergò bonus Deus ut, quùm tot calumnias opprobriaque perpessus sanctissimus Pastor et mitissimus Rex discipulum non esse super Magistrum ex his didicerit, majorem quoque esse qui in ipso est quàm qui in mundo, quàm citissimè experiatur : quod et ardenter exoptamus et suppliciter petimus, eòque confidentiùs speramus, quòd cœlestium Sanctorum turbam, cui augendæ et glorificandæ totus videtur esse, mirabiliter serenus et divinè prudens Pontifex, nobiscum unanimiter et efficaciùs pro Eo adprecaturam non dubitemus. Fausto etiam et materno vultu Ipsi in omnibus occurrat Beatissima et Immaculata Virgo Maria, cujus templum sub titulo Beatæ Mariæ *de Bono Occursu* hodiè dedicatum et consecratum, omnes quicumque sumus in hâc sanctâ Synodo congregati piè visitamus; et ad cujus pedes vota, orationes et consecrationes pro dilectissimi Patris nostri incolumitate et prosperitate, pro omnium ejus jurium conservatione, dominiique integritate, humili, filiali devotoque corde profundimus.

CAPUT II.

De recentioribus circà naturam divinam erroribus.

Si quis in veritate non stans, à Sapientiâ æternâ et mundi luce Domino Nostro Jesu Christo perfidè exsulaverit, sæpiùs contingit ut, ex sapiente factus insipiens, dicat in corde suo : « Non est Deus[1]. » Nec mirum profecto, sed justum eos qui tantum Dei nos supernaturaliter illuminantis et sanantis donum pertinaciter respuerunt, nativæ infirmitati suæ nunc derelictos, per pœnalem et crescentem cæcitatem eò usque descendere, ut ordinis merè naturalis certissimas, notissimas et quasi fundamentales veritates jàm ampliùs non videant, et ideò negent atque impugnent. Ideò Christi Ecclesia, quùm primùm contrà hæreticos fidei suæ integritatem, ejusdem posteà contrà incredulos veritatem et divinitatem servare ac defendere debuerit, nunc ipsissima humanæ rationis dogmata atque principia, imò Dei, qui rationem condidit et docet, naturam et

[1] Psalm., XIII, 1.

existentiam, contrà rationis ipsius nimiùm superbientis et ideò ultràmodum insanientis furorem, vindicare ac tueri manifestè cogitur. Quod quidem atheismi exsecrabile et quasi intolerabile portentum plurimi (eheu! jàm non omnes), subtilissimorum et doctorum sophismatum nubibus operientes, aliis et fortè sibimet occultant. Cuilibet autem eorum scripta sapienter legenti veram essentialemque Dei notionem in eorum mentibus prorsùs evanuisse et ideò Deum ipsum periisse patebit. « Ille enim Deum negat, ait Tertullianus, qui quod Dei est aufert[1]. » Stet pro argumento hæc dogmatum quæ blasphemantes delirant expositio sive synthesis.

I.

1. — « Licèt *logicè* differant, *substantialiter* tamen « unum et idem sunt Deus et mundus; adeò ut nihil « aliud sit Deus quàm mundus *in ideali suo* à mente « nostrà intellectus, itemque nihil aliud mundus, nisi « Deus ipse *in suo reali* perceptus : undè sequitur « theologiæ et cosmologiæ unicum objectum esse sub « duplici aspectu consideratum. »

2. — « Mundus igitur Dei non est opus, sed actus « et quidem necessarius et ab æterno continuus. Est

---

[1] Advers. Marcion., lib. I.

« iterùm ejus forma et quasi figura; inadæquata tamen,
« etsi ad perfectam, et ideò inaccessibilem adæqua-
« tionem propria vi ac naturâ incessanter tendat. Ex
« nihilo jàm non venit, nec ullum ipsi extrà se quæ-
« rendum est principium. Sibi est auctor et causa, sibi
« ipsi Deus : siquidem, etsi contingens sit et temporalis
« et finitus, prout à sensu percipitur et ab imaginatione
« fingitur, in se tamen, et prout à ratione probè intel-
« ligitur, necessarius est, et æternus, et infinitus. »

3. — « Si autem hæc Dei cosmica manifestatio abstra-
« hatur, jàm Deus nihil reale est. Concipi potest, minimè
« autem videri, minimè cognosci. Nihil enim reale est et
« ideò cognoscibile, nisi sit determinatum : nisi autem
« terminetur, nihil determinatur : quod autem termina-
« tur, finitum est et imperfectum. Sese ergò mutuò et
« per essentiam excludunt reale et perfectum : nihilque
« potest esse perfectum, quin sit ideale. » Quid autem
de Deo? Reale quid esse non quidem omninò negatur,
sed per mundum et in mundo tantùm reale esse affir-
matur. Ideale simul quid esse docetur, sed « solùm in
« mente nostrâ, à quâ, non sicut objectum à subjecto,
« sed sicut ens universale et indeterminatum ab ejus
« determinatione particulari, distinguitur; quatenùs
« mens humana sit pars et actus ipsius Dei sese tem-
« poraliter cogitantis et contingenter contemplantis. »

4. — « Reipsâ omnia est Deus, non tantùm potentiâ,
« sed actu. Est natura vivens et vivificata, in quantùm
« sensibus nostris per suas transeuntes et mundanas
« formas est perceptibilis. Est spiritus vivificans, in

« quantùm à conscientiâ nostrâ excogitari potest et coli.
« Est demùm ens merè metaphysicum seu idealis per-
« fectio, in quantùm rationi humanæ, per abstractionem
« ab omni re et qualicumque determinatione, concep-
« tibilis est. » Et hoc est, inter hujusce Dei divina,
sic divinissimum, ut passìm Dei nomen et ultima ratio
huic abstracto et merè ideali enti reservari videatur.

5. — « Sicut autem non aliquid, ità nec aliquis est iste
« Deus. Etenim sicut perfectum et reale, ità univer-
« sale et individuum inter se repugnant. Si quis est
« Deus, jàm Deus non est. Quisquis enim suî conscius
« jure dicit : « Ego », ab aliquo utiquè se discernit :
« atqui jàm non est ille vel illud à quo se discernit :
« ergò non est omnia, non est ens universale, infini-
« tum, absolutum; undè patet quòd non sit Deus. »

6. — « Si quis tamen Deo in *ideali suo* concepto
« quidquam moralitatis attribuit, rationem evacuat,
« purissimum veri Dei conceptum adulterat, et, nedùm
« Deo piè obsequatur, atheismo viam aperit. Etenim
« sicut nihil physici, ità nihil moralis cum Dei meta-
« physicis et absolutè essentialibus attributis compati-
« bile est. Propterea quemadmodùm errârunt Pagani,
« quùm, sensibus et imaginatione decepti, corporalem
« Deum sibi finxerunt; ità, nec reipsâ minùs errant
« Christiani, cùm Deum spiritum, individuum et sin-
« gularem, viventem, suî conscium, intelligentem,
« liberum, imò bonum, sanctum, justum et miseri-
« cordem, deindè creantem et creaturam suam allo-
« quentem et posteà judicantem sibi concinnant. Nullibi

« existit ille Deus, sed nec existere potest. Est merum
« humanæ conscientiæ somnium, sese considerantis
« atque diligentis animæ nostræ figmentum; spirituale
« quidem idolum, sed demùm idolum à nuperrimâ sed
« ineluctabiliter grassante philosophiâ jàm detectum
« atque damnatum, proximè verò è medio tollendum. »

7. — Si quosdam alios audieris, mutatis forsitan verbis, stat doctrina et manet impietas. Ex quibus unus contendit « nihil aliud Deum esse ac facultatum nos-
« trarum omnium vocem et quasi clamorem; mentis
« humanæ semper quæsitum, nunquàm autem inven-
« tum, imò nunquàm inveniendum ideale : quod, si
« comprehenditur, evanescit; rursùm, si exprimitur,
« terminatur, et in quantùm terminatur è vero fit fal-
« sum; licèt verum omnimodè non amittat : undè se-
« quitur nullo symbolo veritatem divinam posse unquàm
« contineri, nec ab ullà Ecclesià edoceri, quamvis veri
« portiunculam omnia quæcumque symbola contineant
« et qualiscumque Ecclesia retineat. Merum denuò
« nomen reverà Deus est, utile quidem et observantià
« dignum, utpotè antiquissimo humani generis usu
« cultuque sacratum, et ideò servandum, si quidem
« vel à solertissimâ philosophià vix suppleri potest;
« inane tamen et vacuum, nihil distinctum, nihil defi-
« nitum, nihil proprium, nihil verè reale designans. »

8. — Juxtà alium autem « verum et unicum veri Dei
« nomen Natura est : quæ etsi omnia realiter contineat
« et sit, secundùm essentiam tamen et in suo summo
« considerata, axioma purum est et quasi ultima et

« universalis quam scientia indigitat et propè tangit
« formula, extratemporalis, extralocalis, indifferens,
« immobilis, omnipotens, creatrix, à quà principia et
« leges et res et ideæ et facta necessario ac continuo
« fluxu dimanant. »

9. — Hæc tandem, necnon omnia sive religiosa, sive etiam metaphysica, quasi sublimiora et inaniora acriter impugnans et flebiliter irridens recentiorum scribarum superbissimus et impiissimus, « absolutum quidquam « et supràmundanum et divinum esse » quàm impudentissimè negat : imò in profundum veniens [1], et usitatos hactenùsque notos humanæ audaciæ et perversitatis fines transgrediens, adorandi et supràmodum diligendi Dei universalissimam ideam saluberrimamque notionem quasi rationis et conscientiæ et reipublicæ « et totius generis humani pestem » denuntiare; et Deum ipsum, antè secula et per secula et post secula benedictum, omnium bonorum principem atque originem, « malum ipsum esse et malorum omnium fon« tem » blasphemare minimè veretur.

II.

Nos autem verbo Dei innixi et unius Ecclesiæ ejus, catholicæ nempè atque Romanæ, verissimam, certissi-

---

[1] Prov., XVIII, 3.

mam, perpetuam indeclinabilemque doctrinam tenentes, hæc omnia suprà dicta, utpotè doctrinæ huic è fronte contraria et ideò erronea, falsa, impia, blasphema, scandalosa et hæretica, judicamus, damnamus, rejicimus et abominamur : causamque veritatis, ad ipsius primùm vindictam et laudem, deindè ad Christi fidelium consolationem atque tutelam, pro officii nostri munere et gratiâ, suscipientes, ejusdemque lucem perpetuam veteri errori novis fucato sophismatibus opponentes, sequentia statuimus, declaramus et pronuntiamus.

1. — Intimiorem Dei naturam, quam propter nimiam charitatem quâ dilexit nos [1] spontè et gratuitò nobis Deus ipse revelavit, sicut nec sensus corporalis percipit, nec sibi fingit imaginatio, ità nec ipsa ratio naturalis attingit; etsi quòd Deus sit et ex parte quid sit, ex iis quæ facta sunt [2] possit concludere [3]. Undè *Deus vincens scientiam nostram* [4] et *incomprehensibilis cogitatu* [5] in sacris paginis dicitur. De quo etiam Paulus : *Quæ Dei sunt nemo cognovit nisi spiritus Dei* [6]. Quapropter si huic suprà-intelligibili Dei naturæ comparentur conceptiones, ut aiunt, quas pura hominum ratio de illâ sibimet efformat, nubes potiùs dicendæ sunt quàm lumina. Si vero testimonio quod de seipsâ reddidit et reddit hæc sublimis et benignissima natura, rationis istius qualescumque conceptiones op-

---

[1] Ephes., II, 4. — [2] Rom., I, 20. — [3] Sap., XIII, 1. — [4] Job, XXXVI, 26. — [5] Jerem., XXXII, 19. — [6] I Cor., II, 11.

ponantur, non jàm sufficit si per fidem transcendantur, sed tanquàm tenebræ et mendacia pestifera ex fide negandæ sunt et omninò rejiciendæ.

2. — Seculorum antecessor et creator[1] et Rex[2] Deus, ab æterno et in æternum vivens[3], à se et in se plenus, perfectus atque beatus, nullâ cogente necessitate, nullo alliciente proventu, quæcumque liberè voluit liberrimè faciens[4], cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt[5], creaturarum scilicèt universitatem temporaliter è nihilo creavit[6]. Omnium autem sive invisibilium sive visibilium[7], sapientissimus conditor, artifex[8] et plastes[9], quæcumque fecit opera *in mensurâ et numero et pondere* disposuit[10]: quatenùs, post perfectum, omnia respiciens quæ, antequàm crearentur, ipsi erant cognita[11], non immensum, sed finitum, ut verè est, mundum videt : *ipse enim fines mundi intuetur*[12]. Quùm autem omnia quæ facta sunt, *ex ipso et per ipsum et in ipso*[13] sint et in esse suo perdurent, ipse verò antè omnia, suprà omnia, et independenter ab omnibus est, existit et vivit; undè *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coràm eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei*[14]; et verè omnis creatura in cœlo et sub cœlo

---

[1] Hebr., I, 2. — [2] 1 Tim., II, 17. — [3] Deuter., XXXII, 40. — [4] Psalm., CXIII, 11. — [5] Act. IV, 24. — [6] Concil. Lateran., IV, cap. 1. — Bulla Eugen. IV, *Cantate Domino*, inter decreta Concil. Florent. — [7] Symb. Nicæn. — [8] Sap. XIV, 2. — [9] Isaï, XLV, 11. — [10] Sap., XI, 21. — [11] Eccli., XXIII, 29. — [12] Job, XXVIII, 24. — [13] Rom., XI, 36. — [14] Isaï, XL, 17.

nunc et semper ipsi confiteatur dicens : *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*[1].

3. — Licèt ad hanc quam inhabitat Deus lucem inaccessibilem[2] mentaliter tendere et ascendere in hâc vitâ minimè possimus, nisi primùm à sensibilibus rebus earumque phantasmatibus pro posse, mentem abstrahamus; imò deindè hæc omnia quæ *imagines et similitudines divinorum exemplarium habere*[3] novimus aut intelligimus transeundo, omittendo et quasi negando; attamen sicut per has negationes, non nihil, sed ens et plenitudinem entis inquirimus, ità per has abstractiones, non abstractum quid et insubsistens appetimus et sectamur; sed ut, post Augustinum, loquitur et definit Concilium Lateranense quartum, rem summam[4], rem veram, universarum rerum creatarum et omnis quam habent realitatis superoriginale principium et supereffectricem causam; Deum nempè viventem, in cujus manus incidere, impiis quidem horrendum[5], piis autem felicissimum : quisquis enim eum per speculum et in ænigmate[6] à longè nunc cernens, fideliter crediderit et confessus fuerit, nil dubium quin facie ad faciem et sicuti est in æternum visurus sit.

---

[1] Psalm., XV, 2. — [2] I Timot., VI, 16. — [3] Dionys. Areop., de divin. nomin., cap. VII, 3. — [4] De doctr. Christ., lib. I, cap. 5; — Vide Petrum Lombard. in I Sentent. Distinct. V. B. Cui subscribit Concil. Later. IV in decreto fidei, cap. II. — Defin. contra abb. Joachim. — [5] Hebr., X, 31. — [6] I. Cor., XIII, 12.

4. — Quemadmodùm autem *ab omnibus* quæ percipimus aut intelligimus *superessentialiter exemptus* Deus[1], res tamen est, et omnium realissima; ità quamvis infinitus et immensus et incircumscriptus, distinctus tamen manet et inconfusus et inconfusibilis. Omne est omnium et omnia in omnibus, sed « effectivè tan-« tùm et exemplariter, minimè verò per essentiam[2], » undè non ineptiùs eum nihil *in nullo* quàm *in omnibus omnia* esse dicitur[3]. Equidem ens istud commune, universale et metaphysicum quod solâ mente abstractivè concipitur et mera mentis hujus idea est, nullibi reipsâ subsistit, nisi in subjectis creatis in quibus actualiter per propriam formam determinatur et ideò res fit. Ens autem illud suprà omnem entitatem excellens[4], quod propriè Dei essentia et substantia et natura et existentia et Deus ipse est[5], in se absolutè et ideò exclusivè est, existit atque subsistit; unicum, singulare[6], individuum[7], à nullo quocumque alio receptibile[8]; etiamsi aliquo et vero sensu se ad extrà communicet, impartitum manens et « absque ullâ cum participibus illius mistionis com-« munione[9] ». Verba quidem hìc secum pugnare videntur : ecquid mirum, ubì de ineffabili fandum est, et « verborum significantiam rei ipsius natura con-

---

[1] Dion. loc. citat. cap. I, 5. — [2] S. Thom. Sum., I p., quæst. III, art. 8. ad 1. — [3] Dion. ibid., cap. VII, 3. — [4] Dion. ibid., cap. I, 4. — [5] S. Thom. ubi suprà, art. 3 et 4. — [6] Greg. Nyss. Orat. Catech., cap. III. — [7] Conc. Later., IV, Cfr Petav. de Trin., lib. IV, c. 13. — [8] S. Th. ubì suprà, art. 2 ad 3. — [9] S. Dion. loc. cit., cap. II, 5.

sumit[1]»? Sed quod insufficienter exprimitur, rationabiliter apprehenditur, salubriusque creditur.

Ad illud declarandum sat utique esset quòd, per totam Scripturam, Deus nomen habere dicatur, quod distinctionis et proprietatis proprium signum est : sanctum est enim et terribile nomen ejus[2], æternum[3], admirabile[4], omni quod ubicumque nominatur aut nominari potest sublimius[5], adeòque ipsi proprium ut nulli sit communicabile[6]. Sed etiam, Deo ipso teste et magistro, hanc ejus summam inenarrabilemque naturam incomprenhensibiliter in tribus personis subsistere novimus; quod profectò ipsi propriissimum est; si quidem de nullo alio ente sive physico, sive metaphysico, ullatenùs potest affirmari. Hasce iterùm hypostases seu personas, quæ Deus ipse sunt, realiter ab invicem esse distinctas, ex eodem infallibili magisterio accipimus atque credimus : undè vel in hâc infinitatis et unitatis abysso, veras determinationes vel proprietates esse quàm certissimè tenemus. Ex quibus hujusce unius unicæque Trinitatis personis, si unam specialiùs, Scripturâ duce, considerare velimus, scimus in principio esse Verbum, et Verbum esse apud Deum et Deum esse Verbum[7] : Deum scilicèt de Deo, Filium à Patre et Patri consubstantialem[8], per omnia similem ac prorsùs æqualem. Verbum autem idem ac terminum sonare nemo non vi-

---

[1] S. Hilar. de Trinit., lib. II, 5. — [2] Psalm., CX, 9. — [3] Exod., III, 15. — [4] Judic., XIII, 18. — [5] Ephes., 1, 21. — [6] Sap., XVI, 21. — [7] Joan., I, 1. — [8] Symb. Nicæn.

det : si quidem, quemadmodùm verbo sententia, ità termino seu figurà substantia definitur, terminatur et ideò manifestatur. Quapropter de hoc Dei Verbo disserens Spiritus Sanctus *imaginem* divinæ *bonitatis*[1], *imaginem Dei invisibilis*[2] iterùm et expressiùs *figuram* seu *characterem substantiæ ejus*[3] illud vocat. En ergò in Deo terminus, sententiæ sive menti quam totaliter enuntiat, luci quam essentialiter declarat, bonitati quam spiritaliter repræsentat, substantiæ quam incircumscriptè figurat omninò connaturalis et perfectissimè æquivalens, et ideò ipse infinitus, immensus, æternus, Deo internus et verus Deus, sed verè in Deo terminus, et quia Verbum terminus.

5. — Quùm autem illa suprà-quàmperfecta simul et realissima essentia, sive natura, sive substantia, quæ Deus est, summè rationalis, aut potiùs intelligens, aut potissimè intellectus purus sit, suî ipsius consciam esse, nisi amens, nemo inficias ibit. Licèt enim tres in Deo distinctas esse personas, divinitùs edocti, profiteamur, Deum tamen in his tribus indisjunctè subsistentem, nihilominùs unicum quid et perfectissimè singulare ex Scripturis nostris accipimus et tenemus. Ibì enim tanquàm unus in tribus personis suis nos Deus alloquens passìm dicit : *Ego sum qui sum*[4]; *Ego Dominus et non est alter*[5]; Ego ipse, et præter me non est alius[6].

---

[1] Sap., VII, 26.— [2] Coloss., I, 15.— [3] Hebr., I, 3.— [4] Exod., III, 14. — [5] Isaï, XLV, 6. — [6] Deuter., IV, 35.

6. — Nihil autem humani, sed nec angelici, huic supereminenti Dei naturæ propriè et essentialiter attribui licere et ab Ecclesiâ Catholicâ unquàm attributum fuisse, apprimè nôrunt apud nos vel rudes atque parvuli. De Deo equidem, non uti vult, sed ut potest, loquitur homo *infirmus et exigui temporis et minor ad intellectum*[1]. Objecto fidei impar quidem sermo; objecto tamen suo fides par omninò manet. Et quùm, Deo auctore, huic imperturbabili serenitati zelum[2] atque iram[3]; huic immutabilitati consilium[4], electionem[5], imò alicubi pœnitentiam[6]; huic omnia cernenti et infallibili intelligentiæ ignorantiam[7] aut oblivionem[8]; huic tandem omnimodæ et supramodum perfectioni quoscumque alios nostros aut cognoscendi, aut volendi, aut sentiendi, aut agendi, aut vivendi modos accommodamus, Dei majestatis nullatenùs rei, ipsius autem dulcissimæ benignitatis alumni ac discipuli, scimus hæc omnia « humanæ capa« citati aptiora esse quàm sublimitati divinæ[9] »; quæcumque autem illa quæ de Deo nostro humanitùs prædicamus, in ipso typicè tantùm et originaliter et ultrà excellenter, modoque planè divino superesse non dubitamus : de cætero tandem « penè omne quod de Deo « dicitur, eo ipso jàm indignum esse quo potuit dici[10] » certum habemus. Attamen quia imbecilla et indigna,

---

[1] Sap., IX, 5. — [2] Num., XXV, 11. — [3] Psalm., II, 5. — [4] Ephes., I, 11. — [5] Ibid., I, 4. — [6] Genes., VI, 6.— [7] I Cor., XIV, 38. — [8] Psalm., XII, 1. — [9] S. August. ad Simplic., lib. II, quæst. 2.— [10] S. Greg. Magn. Moral., lib. XX, cap. 32 (edit. Migne).

non ideò falsa; et quia nisi symbolis obvelatum Deum intueri et exindè proponere nequimus, non ideò idolum colimus et exhibemus. Quandò enim, « ut ad se nos « revocaret et sibi denuo jungeret » placuit Deo « tem-« poralem assumere accessionem[1], » et, manens quod erat, quod nos ipsi sumus dignatus est fieri, verus homo fuit et apparuit idem ille qui verus Deus erat et non apparebat. Nedùm ergò illa omnia quæ hominem naturaliter decent et ornant, naturæ divinæ ex omni parte repugnent, per hæc ipsa et in his ipsis personaliter voluit nobis revelari; si quidem dicenti discipulo : *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis,* respondit ille homo Jesus Christus : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum*[2].

7. — Deniquè de hoc trino et uno et solo vero Deo nostro credimus, pronuntiamus et contestamur quòd « bonus et omnibonus et suprâbonus sit, totus « existens bonitas[3]; » quatenùs « totam ejus essen-« tiam, quidquid tandem sit, bonum ipsum definiat « atque explanet[4] : « Non alio ideò bono bonus, sed ipse « sibi bonum quo bonus est[5], » et bonum omnis boni[6]; undè ipse dixit : *Nemo bonus, nisi solus Deus*[7]. Si qui sunt enim qui meritò dicantur boni, id illis ex hoc ad-

---

[1] Dion de div. nom., cap. I, 4.— [2] Joan., XV, 8, 9.— [3] S. Joan. Damasc. de fide orthodoxâ, lib. IV, cap. 14. — [4] S. Dion. loc. cit., cap. II, 1. — [5] S. August., Epist. LIV. — [6] Id. de Trinit., lib. VIII, cap. 3. — [7] Luc., XVIII, 19.

venit, quòd à Deo sunt, et aliquâ bonitatis ejus participatione et imitatione « ad illum ordinantur[1]. » Propter enim bonitatis suæ superabundantes divitias, non passus est solum esse ipsum bonum, id est suam ipsius naturam à nullo participatam[2]. Undè, quùm sit Pater luminum, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, omne datum optimum et omne donum perfectum* ab eo, sicut à libero fonte, descendit[3]: et, priusquàm fuerint, omnia diligens[4], aperit manum suam et omnem creaturam implet benedictione[5]; qui si non ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam, et nisi custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam[6]. Illius enim absentia, tenebræ, mors et infernus; ipsius autem præsentia, lux, pax et omne gaudium. Quem nosse consummata justitia est, et ipsius justitiam et virtutem scire, radix est immortalitatis[7]: Cui credere omnis sapientia, in quem sperare omnis virtus, quem diligere omnis pietas, cui obtemperare omnis ordo, cui servire gloria et salus, cui adhærere bonum bonorum, quo frui vita æterna est: Cui igitur benedicendum omni tempore, et semper laus ejus in ore hominum[8]: Cui reverâ benedicunt et ultrà secula benedicent omnes justi, omnes recti, omnes pii, omnes veri nominis sapientes et docti, à quo demùm per pœnam ad ordinem re-

---

[1] S. Thom., 1a pars, quæst. 6, art. 4 (ex Boetio). — [2] Joann. Damasc. loc. cit. — [3] Jacob, I, 17. — [4] Sap., XI, 25. — [5] Psalm., CXLIV, 16. — [6] Psalm. CXXVI, 1. — [7] Sap. XV, 3. — [8] Psalm. XXXIII, 1.

dacti hi ipsi omnes qui, cæteris benedicentibus, illum blasphemaverint, aut illi maledixerint, aut de illo tacuerint, ejus laudi et honori tàm ineluctabiliter quàm invitè in æternum cooperabuntur.

CAPUT III.

De Miraculis.

I. — Ut, juxtà decretum Patris, de potestate tenebrarum nos eriperet, et in admirabile lumen suum transferret[1], ab incunabulis mundi promissus, deindè per secula multa authenticè prænuntiatus et historicè præfiguratus, in *eruditis temporibus*[2] et quasi plenâ historiæ meridie ipse tandem verus homo apparuit Filius Dei. Volens autem turrim magnam ædificare, templum Dei scilicet quod est Sancta Ecclesia, sicut sapiens architectus priùs fundamentum posuit[3], seipsum nempè, cui per fidem innixi tanquàm lapides vivi superædificamur[4] et crescimus in habitaculum Dei in spiritu[5].

Quamobrem divinitùs agens qui se Deum verum prædicabat, ea palàm et multotiès fecit quæ, non neganti-

---

[1] 1 Petr. II, 9. — [2] S. August. De civit. Dei lib. XXII, cap. 8. — [3] 1 Cor. III, 10. — [4] Petr. II, 5. — [5] Coloss. II, 22.

bus ipsis Judæis[1], mortalium nemo facere poterat; quæque talia operantis deitati omnium fidem alliciebant, sivè potiùs imperabant. Undè ipse : *Opera quæ ego facio....... hæc testimonium perhibent de me. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi : si autem facio, et si mihi non vultis credere operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est et ego in Patre*[2].

Hâc verè divinâ nec imitabili miraculorum tesserâ religionem suam Christus insignivit et post « grande « illud saluberrimumque resurrectionis suæ miracu« lum, cui attestabantur » et etiam nunc attestantur « omnia alia[3] », virtutem similia, imò majora[4] patrandi Apostolis item et testibus suis largâ prorsùs potentissimâque manu donavit. Ex quo *profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis*[5]. Et sic « incredibilis rei quæ non « videbatur, hæc incredibilia quæ tamen fiebant et « videbantur » mox in universo mundo « fecerunt fidem[6]. »

II. — Hanc verò, quò clarior firmiorque est, divinæ originis nostræ notam eò magis detestantur insectanturque illi omnes qui, quùm lux sit in mundo, tenebras magis quàm lucem diligunt[7], nec tantâ ac tali spiritûs

---

[1] Act. IV, 16. — [2] S. Joann. cap. X. — [3] August. ibid. — [4] S. Joann. — [5] Marc. XVI, 20. — [6] August. ibid. — [7] Joan. III, 19.

et virtutis ostensione[1] devicti, « sapientiæ verò secu-
« laris, quam stultam vocat Deus[2], » malis artibus de-
cepti ac obligati, miraculum ex religione tollere, ex
historiâ delere, in rationali hominum sensu abolere,
extrà omnem possibilitatem ponere, imò omnium capaci
et omnipotenti manui Dei eripere, falsæ scientiæ nomine
et impiæ sapientiæ et mendacissimæ critices, audent
atque conantur.

III. — Infirmis autem in fide, et his ipsis sanctæ
benignæque fidei nostræ ingratissimis hostibus consu-
lentes, quos utiquè « sanari potiùs, si fieri potest, quàm
« oppugnari volumus[3] »; mortiferis quæ grassantur
opinionibus et vanissimis effatis, veram, certam, salu-
bremque Verbi Dei Jesu-Christi, ejusque unicæ sponsæ
Matris nostræ Ecclesiæ doctrinam opponentes, hæc
statuimus et declaramus :

1. — Quisquis miraculum à priori negat et, uti in se
impossibile et Dei sapientiæ naturæque ordini et immu-
tabilitati contrarium semper et ubiquè negandum esse
contendit, Dei libertatem tollit, summum ejus omnipo-
tensque dominium abrogat; naturam jàm non servam,
sed dominam, imò divinam et quasi Deum esse insinuat;
sensum hominum communem pessumdat, omnium tem-
porum et gentium illustrissimis, sanctissimis, simul et

---

[1] I Cor. cap. I. — [2] Tertul. De præscript. — [3] August. De Moribus Eccles.

doctissimis viris contumeliam facit; nec fidei tantùm, sed et sanæ rationi è fronte adversatur.

2. — Quisquis iterùm sive veteris, sive novi Testamenti miracula planè divina, divinitùs certa, necnon ab Ecclesiâ catholicâ semper credita atque prædicata, nihil aliud esse affirmat nisi mendacia, aut ignarorum hominum somnia, aut humani ingenii ideales fœtus, aut mera symbola poeticè inventa, philosophicè explananda, historicè vero indemonstrabilia, et ideò non verè facta, sed nudas, ut aïunt, *legendas;* si autem fortè facta, scientiâ humanâ penitùs explicanda, etiamsi huic explicationi scientia nunc impar existat; testimonium Dei abnuens, Deumque ipsum mendacem faciens [1], cujuslibet etiam historiæ certitudinem tàm infideliter quàm irrationabiliter et exitialiter infirmat.

3. — Si quis autem non Christi et ejus discipulorum miraculis, nec extraordinario et in se supernaturali divinæ Providentiæ actui, mediis verò humanis et ordinis merè naturalis, mirificam Christianismi sive institutionem, sive propagationem, sive etiam usquè ad nos conservationem tribui posse opinatur, historiam corrumpit, constanti et infallibili Ecclesiæ traditioni contràdicit, remque Christianam omnem penitùs evertit.

---

[1] I Joann. I, 20.

4. — Nec verè iterùm, nec rectè de hâc eâdem re sentit et credit, quicumque in sacris paginis conscripta prodigia indubitanter quidem admittens, quibus verò libet aliis in seculorum decursu in Ecclesiâ Christi patratis fidem omninò denegat. Noverint ergò omnes et meminerint non abbreviatam esse manum Domini [1]; Christum Jesum Dominum nostrum, in cujus virtute et nomine sua signa fecerunt primi ejus apostoli, Deum esse qui non mutatur [2], illumque cum Ecclesiâ suâ *omnibus diebus* fideliter permansurum, et in eâ et per eam *usquè ad consummationem seculi* divinitùs, prout volet, operaturum [3]. Quod quidem, etsi non aliundè, ex hoc admodùm demonstraretur quòd, inter tot cujusvis ævi et nostri etiam temporis homines quos Sanctorum albo adscripsit Ecclesia, neminem ad tanti honoris fastigium unquàm evexerit et evehi posse statuerit, nisi de miraculis ab eo patratis constaret.

IV. — Quod ad nova miracula attinet, nemo ea leviter admittat; nemo præsertìm ea palàm promulget aut prædicet, nisi ratione habitâ omnium regularum quas de hisce rebus statuit prudentissima mater Ecclesia, quasque in pontificiis constitutionibus [4] legere est.

---

[1] Isaï. XLIX, 1.— [2] Malach. III, 6.— [3] Matt. XXVIII, 20.— [4] Leo X, Bulla *Supernæ majestatis*, IV Kal. Jan. 1516, et Benedict. XIV, de Canoniz. SS.

CAPUT IV.

De profectu fidei apud exteras gentes.

I. — Salutaris Verbi Dei liberam et ubiquè gentium diffusam prædicationem, benignissimique Pastoris Jesu in toto orbe terrarum adventum et regnum, desiderio desiderare non destitit nec unquàm desinet piissima Christi sponsa sancta Mater Ecclesia. Ad id orationes, verba, instituta, collectæ; ad id omnis et indefessus labor; ad id sudor et sanguis. Ecquid enim nimis, imò quid satis ad salutem animarum quas acquisivit Dominus proprio sanguine?

Quoniam autem in Ecclesiâ, quæ corpus Christi est, uno patiente aut gaudente membro, compatiuntur vel congaudent cætera membra, nos omnes Burdigalensis provinciæ synodaliter aggregati Episcopi, de his quæ in extremis partibus Orientis, tribus abhinc annis, contigerunt, fraternos cohibere aut tacere sensus minimè possumus. Multa quidem hic infausta et fletu digna fuisse, sed et nunc esse novimus atque dolemus. Gratias autem Deo quòd simul de multis gloriari atque lætari debeamus, et adhùc meliora haud immeritò speremus!

II. — Hæc autem est prior nostra gloria et lætitia, quòd multi ex nostris diœcesibus oriundi, tùm clerici,

tùm presbyteri, tanta itinera tantosque labores inire non dubitent ut his qui nunquàm illud audierunt Verbum Christi annuntient. Quos quùm ore proprio Christus laudaverit, quid eos ampliùs laudare necesse ?

Jam verò quàm fidelia sint verba Domini persecutiones prænuntiantis [1] his qui pro ejus nomine dimittunt omnia, experti sunt isti omnes : siquidem tenebrarum rector et mortis princeps Satanas, ab initio homicida et in plenitudine temporum deicida, quantùm hominum, sed imprimis Christianorum sanguinem etiamnunc sitiat, hisce nostris temporibus palàm ostendit. Vivit et per secula vivet in mente fidelium memoria fortium Christi athletarum, Fr. Josephi-Mariæ Diaz nempè et Fr. Melchior, qui jàm triplici Religionis, apostolatûs necnon Episcopatûs titulo fratres, quùm usquè ad mortem certârunt pro lege Christi, fratres martyrio perstiterunt.

III. — Maximè in votis nobis esset ut eosdem Christi milites, quibus annumerari meritissimè posset Episcopus Acanthensis Petrus-Andreas Retord, qui post innumeros et fructuosissimos labores inediâ consumptus in silvis longo quasi martyrio enectus est, Beatissimus Pater, in Ecclesiâ supremus doctor et judex, fastis Sanctorum adscriberet. Quamobrem Episcopi hujusce Aginnensis Concilii, ad pedes Sanctitatis Suæ humiliter provoluti, unanimi consensu et voce expostulant ut

---

[1] Marc. X, 30.

Ipsi placeat summâ quâ pollet auctoritate uti ad causam Beatificationis horum Dei servorum, necnon et aliorum quorum in præcedenti nostro Concilio mentio facta est [1], promovendam et, Deo auspicante, absolvendam.

IV. — Jàmdiù enixis precibus postulabamus ut divina bonitas libertatem, quâ in his regionibus ad salutem animarum procurandam indiget Ecclesia, ipsi largiri dignaretur.

Quibus votis nostris Dei Providentia annuere nuperrimè visa fuit. Dùm enim divini sermonis præcones sanguinis effusione suum apostolatum decorare non desinerent, Francorum Imperator et Hispaniarum Regina, ad coërcendam ferorum hominum audaciam, tuendamque justissimam subjectorum suorum ibi degentium libertatem, feliciter arma junxerunt, undè non parva spiritualis religiosique proventûs spes Christianorum cordibus affulsit.

Prorsùs cæterùm decebat ut has duas ipsas catholicas gentes, quas jàm propter totiès mixtum in hâc orbis parte suorum martyrum sanguinem eadem cœlestis gloria adunabat, profuso nunc simul et commixto militum suorum cruore, triumphi terrestris idem decus illustraret. Pro quibus gratias Deo et his omnibus, quicumque sint, qui in hâc justâ et sanctâ causâ adlaborârunt, et etiamnùm adlaborant, debitas persolvimus laudes.

---

[1] Concil. Petrocor., T. I, c. VII, p. 26.

Quia verò absque Deo juvante, sicut nihil boni in terris incipi, ita nec perfici potest; quia etiam maximè exoptandum est tot factas expensas, tantumque laborem initum, sanguinemque profusum, non quidem hæresi aut schismati, neque tantùm temporali gentium commodo, benè verò veritati et justitiæ, Christo et Ecclesiæ proficere; Beatissimum Patrem et Pastorem secuti, qui viciniores agnos, Urbis nempè suæ fideles, ad preces, obsecrationes, pro tanti incepti felici exitu fundendas, ardentissimis verbis compulit; nos quoque hujus provinciæ Episcopi, omnes nostrarum diœceseon fideles vehementer hortamur ut orationibus piisque votis illum Deum et Dominum propitium faciant, cui salvare proprium est, cui misereri perjucundum, et in cujus manu et cor regum, et virtus armorum, et salus gentium, et verè omnia sunt.

TITULUS II.

De Disciplinâ et Regimine ecclesiastico.

CAPUT I.

De utilitate Conciliorum Provincialium et præcedentium observatione.

I. — Quod tàm salubriter de celebrandâ quolibet triennio Synodo provinciali decrevêre Tridentini Patres, id semper exequi maximè in votis habemus. Quùm enim Spiritus Sanctus Episcopos *posuerit regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo*, eo fungi munere efficaciùs nunquàm illi possunt, quàm cùm, synodaliter congregati, coadunatâ auctoritate et præcipiunt et docent.

II. — Ex constanti usu Ecclesiæ compertum est quàm utilis fuerit sacrorum Conciliorum celebratio, in quibus Antistites, auctoritate divinâ, ea omnia sanciunt quæ ad stabiliendam fidem, informandos mores, fovendamque pietatem proficiunt.

Gratias ergò agere debent pii omnes Imperatori

Francorum qui Concilia in Galliis jàm nunc liberè celebrari, nuper in solemnibus Imperii comitiis declaravit.

III. — Venerabiles verò cooperatores et consacerdotes nostros omnes obsecramus in Domino ac obtestamur, ut præcedentium decretorum paginas attentiori et repetitâ lectione percurrere non desistant. Quæ enim jàm in hâc provinciâ, Deo auctore, ab istis sanctis legibus effluxêre bona, eadem eò majora uberioraque obventura jure ac meritò speramus, quo frequentior ea fuerit lectio et observantia diligentior.

Et non sacerdotes tantùm, sed illos etiam fideles qui aliquâ pollent auctoritate enixè rogamus, ut monitis et exemplis decreta nostra à subditis procurent observari, quatenùs Domino placentes animam suam liberent, et in ordine etiam temporali sibi et cæteris consulant.

IV. — Quapropter quæ à Nobis jampridem decreta fuêre, ea omnia iterùm atque iterùm decernimus atque confirmamus et ab omnibus ubiquè adamussìm servari mandamus.

Præ cæteris autem commendamus decreta : — de prædicationibus in Missâ parochiali juxtà alterutram methodum catechismi Concilii Tridentini ordinandis ;— de parvulis sedulò catechizandis et antè primam communionem ritè examinandis; — de diei dominicæ violatione coercendâ et tollendâ : — de pravorum librorum vitandâ lectione; — tandem de mundanis usibus noxiis-

que seculi voluptatibus fugiendis, ad mentem Concilii Petrocorensis cujus regulæ accuratiùs serventur.

CAPUT II.

De piis Peregrinationibus

I. — Nemo sanè est qui compertum non habeat studium pia quædam loca Sanctis et præsertìm Beatæ Mariæ Virgini dicata, certasque sacras imagines venerandi et decorandi, quod diutiùs, nec sinè magno religionis fructu in Ecclesiâ viguit, tepescente postmodùm fide, postremis hisce temporibus paulatìm pluribus in locis defecisse. Jàm verò hæc pristinorum dierum devotio, non multis abhinc annis, summo omnium catholicorum et imprimìs Episcoporum plausu, in Galliâ reflorescere videtur, ut perspicuum est, non modo ex frequentiori populorum concursu, sed etiam ex zelo veneranda hæc loca decentiùs decorandi, et sacras ædes ibidem existentes instaurandi, imò verò majori sumptu denuò ædificandi.

II. — Nobis igitur lætandum in hâc provinciâ Burdigalensi non pauca superesse sanctuaria ad quæ reviviscunt illæ piæ peregrinationes. Etenim, præter antiquum et celebratissimum Sanctæ Radegundis sepulchrum et feliciter hâc nostrâ ætate redintegratum S. Eutropii tu-

mulum, et S. Philiberti ossibus quidem, minimè verò gratiâ vacuum Nigrum-Monasterium, plures eminent ecclesiæ B. M. V. dicatæ pari populorum concursu frequentatæ; ut, apud Burdigalenses, ecclesiæ B. M. de Viridi luco, de Talentiâ, de Montigo, de Laureto, de Finibus terræ, de Arcagione; apud Petrocorenses, ecclesia B. M. de Capellulâ; apud Pictavienses, ecclesia B. M. de Pietate; apud Engolismenses, ecclesia B. M. de Obasinâ, aliæque plures apud Rupellenses et Lucionenses; tandemque apud Aginnenses, ecclesia B. M. de Petrâ-acutâ et ecclesia B. M. de Bono Occursu quam, hâc ipsâ die, toto præsente Concilio, Eminentissimus Metropolitanus, cum Episcopis Petrocorensi et Rupellensi, præsentibus reliquis Concilii nostri Patribus, solemniter consecravit. Quin et in novellis coloniarum diœcesibus in honore habentur, apud Martinicenses, ecclesia B. M. de Liberandâ, et apud San-Dionysianos, ecclesia B. M. de Bono Auxilio, et in insulâ Guadalupâ nasci videtur pius harum peregrinationum motus, indèque fidelium zelo ac labore toti regioni jàm veneranda exurgit ecclesia B. M. de Abyssis.

III. — Quapropter nostri muneris esse existimamus laudare primùm piorum aliquot zelum qui nostrâ hâc ætate iter Hierosólymitanum seu Romanum ad limina Apostolorum susceperunt, eorum deindè devotionem probare qui viciniora sanctuaria visitant. Persuasum enim habemus religionem bonosque mores plurimùm indè proficere posse. Idcircò omnes sacerdotes et præsertìm locorum Parochos enixè adhortamur, ut ad illas

peregrinationes ritè ordinandas et in suâ sanctitate continendas, sive concionibus, sive festis et solemnibus cæremoniis, sive aliis adminiculis quæ suggeret zelus, nihil non moliantur.

IV. — At verò quùm optima quæque in abusum converti possint et aliquandò convertantur, quemadmodùm compertum est in ipsis peregrinationibus quæ, vel temporum iniquitate et morum corruptelâ, vel incuriâ forsan et negligentiâ pastorum, quibusdam in locis occasionem profanis et exitiosis conventibus dederunt, nostro officio deesse videremur, nisi eos abusus insectari aut prævertere, ut possumus, niteremur. Moneant ergò Parochi sedulò fideles, quùm opus fuerit, quàm piè, quàm sanctè fieri debeant locorum sacrorum visitationes, ipsisque in memoriam reducant salutares illas Concilii Mediolanensis IV præscriptiones : « Peregri-
« nando omnia fugiant quæ devotionis studium per-
« turbant aut impediunt, ut illa amplectantur quibus
« illud excitari solet.... Ad sacra loca quæ religiosè
« visitaturi sunt, cùm pervenerint, nihil aliud sibi pro-
« positum habeant quàm ut aut jubilæum indulgen-
« tiamve consequantur, aut vota sancta persolvant,
« sacras reliquias et sacra loca piè visitent, ab omni
« curiositate, peccandive occasione abstinentes. Itaque
« primò confessi quùm Sacram Eucharistiam sumpse-
« rint, tùm religiosè Sanctorum statas Ecclesias visi-
« tent, ità ut, ipsorum locorum admonitione, major
« affectus in ipsis resurgat ad excitandam pietatem,
« et Sanctorum quorum auxilium implorant, orationi-

« bus adjuventur[1]. » Quæ omnia sanè accuratiùs servabuntur, si Parochi interdùm ipsimet peregrinantibus præeuntes, absque tamen præjudicio officii parochialis, illos cum religioso apparatu, in hymnis et canticis spiritualibus, ad hæc sanctuaria deducant, et eodem modo, expletis piæ devotionis exercitiis, ad propria reducere satagant.

CAPUT III.

De binâ Missæ celebratione.

I. — Quod jampridem decreverat Innocentius III[2], quod posteà fusiùs evolverat Benedictus XIV[3], quodque multis abhinc annis mandaverat provinciæ nostræ Burdigalense Concilium[4], de Missâ, nisi gravem ob causam, bis in die non celebrandâ, illud iterùm in hâcce Synodo docemus et mandamus, eo fine, ut per totam provinciam, juxtà canones sacros, praxis una statui possit.

Jure igitur competit facultas Missæ, eodem die, iterandæ Sacerdoti illi qui duas parochias regendas habet, et concedi ista potest ab Episcopo illi Sacerdoti qui duas habet, in eâdem parochiâ, ecclesias inter se distantes.

---

[1] *De Religiosis peregrinat* — [2] Decretum *Consuluisti.* — [3] Const. *Declarâsti nobis*, 16 Mart. 1746. — [4] Conc. Burdig. ann. 1583.

In eâdem verò ecclesiâ, sacrorum iteratio illa, Episcopi accedente consensu, totiès licita est, quotiès absque eâ pars magna populi præcepto Missæ audiendæ difficilè satisfacere valeret, propter ecclesiæ exiguitatem[1]. Quod quidem ità est intelligendum, ut si alius sacerdos præstò esset, Parochus præfatâ facultate uti minimè valeret.

Advertant etiam sacerdotes prædictam facultatem in quolibet casu non concedi nisi pro diebus dominicis et festis de præcepto servandis.

II. — Parochus duas diversas parochias regens, et Missam bis in die celebrare permissus, pro populo utriusque parochiæ singulam Missam applicare tenetur.

Parochus qui, juxtà superiùs dicta, unicam regens parochiam, bis in die, sive in diversis ecclesiis, sive etiam in eàdem ecclesiâ, Missam celebraret, secundam Missam pro populo applicare equidem non tenetur, sed pro hâc secundâ Missâ stipendium accipere prohibetur.

Quod de omnibus quibusvis aliis sacerdotibus, etiam non animarum curam habentibus, intelligendum est[2].

Ex hâc autem regulâ generali excipiendæ sunt Missæ quæ in solemnitate Nativitatis Domini à sacerdotibus celebrantur, pro quibus, ut ait Benedictus XIV, caritativa stipendia recipi possunt.

---

[1] Vid. Bened. XIV, de Sacr. Miss., lib. III, § V, 2, 4.— [2] S. R. C. 25 Sept. 1856.

III. — Quomodò in purificando calice sese gerere debeat sacerdos bis in die diversis in ecclesiis celebrans, S. Rituum Congregatio indicat, cujus nuperam Instructionem[1] ad hujusce Concilii calcem reponi volumus.

CAPUT IV.

De applicatione Missæ pro populo.

I. — Litteris suis encyclicis ad totius orbis Episcopos directis[2], S. P. Pius IX, veram et perpetuam, licèt multis in locis aliquandiù obliteratam, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplinam, de applicandâ populo intentione Missarum, in praxim revocans, antè omnia magnificentissimâ illâ et profundissimâ quæ supremum Ecclesiæ doctorem decet doctrinâ, totam sacrificii legem et naturam solemniter enuntiavit. Quam quidem Epistolam dogmaticam simul ac disciplinarem, actis hujusce Concilii adnecti volumus, cunctis sacerdotibus attentè legendam ac meditandam, ab ipsisque plebi suæ speciali zelo et curâ exponendam et evolvendam. Ne intermittant unquàm Parochi præsertim aliique divini verbi præcones, et omnes quibus munus erudiendi populum

---

[1] *Vide ad calcem, nº VI.* — [2] Const. *Amantissimi.* Maii 1858. *Vide ad calcem, nº VII.*

est demandatum, eum edocere quàm præstantius sit incruentum Missæ sacrificium cunctis religiosæ pietatis exercitiis, etiam publicè peractis et quantâvis solemnitate persolutis.

II. — Omnes igitur deinceps sciant animarum curatores se ad Missam pro ovibus sibi concreditis offerendam teneri, omnibus dominicis aliisque festis etiam reductis quæ in Urbani VIII catalogo recensentur, addito, Clementis XI jussu, Immaculatæ Conceptionis festo.

Si qua tamen, speciali in casu, gravis occurreret in hâc observandâ lege difficultas, sacerdos, dispensationis causâ, Sacram Concilii Congregationem adeat, Ordinarii sui commendatione juvandus.

Si in aliquo festo reducto missa celebranda sit, sive pro sponsis, sive pro defuncto in ejus exequiis, tunc alio deficiente sacerdote, parocho licet applicationem Missæ pro populo ad sequentem diem transferre, nisi tamen, ob hoc ipsum festum, officium publicum et à populo frequentatum in parochiâ ex usu celebrandum esset.

III. — Ex prædictâ obligatione sibi impositâ, occasionem sumant animarum Pastores instruendi fideles, quantùm in votis Ecclesiæ sit, ut festa etiam reducta semper religiosè observent, et præsertìm Missæ sacrificio, quod pro ipsis applicatur, eâ quâ par est fide ac pietate, pro posse suo intersint.

CAPUT V.

De Sacratissimo Corde D. N. J. C.

I. — Decretum quoque illud[1] quo Sacratissimi Cordis Domini Nostri Jesu-Christi festum ad universum orbem extenditur, in hocce Concilio nostro eò libentiùs reponi volumus, quod festum istud, in Galliis nostris olim ortum, nunc instantibus Lutetiæ apud Eminentissimum Cardinalem Legatum *à latere* omnibus ejusdem Imperii Episcopis, apud omnes mundi Ecclesias summus Pontifex jusserit celebrari.

II. — Gratias ergò debitasque laudes summo Pontifici Pio IX persolvimus, qui preces illas *florentissimi ac Sedi apostolicæ obsequentissimi Galliarum Episcopatûs*[2] benignè accipere dignatus est. Et quùm recentioribus hisce diebus, piissimæ sanctimonialis illius, cui Dominus ipse Cordis sui meliùs amandi arcana revelavit, beatificationis causa reassumpta fuerit, maximè in votis habemus ut causa hæc apud Sacram Rituum Congregationem nuper adducta, felicem sortiatur exitum, et salutiferam hanc devotionem novis augeat incrementis.

---

[1] Decret. *Ex quo* — 23 Augusti 1857. *Vide ad calcem*, n° VIII. — *Vide etiam* Decretum de Precibus pro Supremo Imperante, n° IX. —
[2] Verba Decreti *Ex quo*.

III. — Et faxit Dominus Noster Jesus-Christus ut Sacratissimi Cordis sui, cui totam provinciam nostram in Concilio Burdigalensi solemniter dedicavimus, cultum et amorem vividiùs florescere de die in diem videamus. Nihil ergò in hoc pio opere omittant animarum Pastores, præ oculis semper istud habentes, se eò magis ovibus suis esse profuturos quò majori ergà Cor Domini Sanctissimum arserint charitatis igne.

CAPUT VI.

De ædificatione et instauratione ecclesiarum.

I. — Studium illud quo, aliquot abhinc annis, in omnibus hujusce Provinciæ diœcesibus, imprimis Metropolitanâ, duce et auspice Em. Cardinali Archiepiscopo, novæ ædificantur ecclesiæ, veteresque instaurantur et amplificantur, applausu nostro prosequendum duximus. Vigeat ergò et in dies increscat zelus ille quo diligitur decor domûs Dei, et locus habitationis ejus; eo tamen pacto ut nihil inchoetur nisi Episcopo consulto et approbante, serventurque in omnibus sacrorum canonum præscripta et Christianæ architecturæ traditiones.

II. — Quùm autem in quibusdam regionibus populus multò frequentior excreverit, necesse est ut sive in

urbibus sive etiam in pagis novæ erigantur Parochiæ. Quas erectiones, ubi opus fuerit, locorum Ordinarii, concurrente auctoritate civili, quàmprimùm fieri procurent.

III. — Quæ quidem præsertìm in coloniarum diœcesibus exequenda commendamus. Licèt enim pro hâc parte jàm multa feliciter in illis regionibus incepta sint, pauciores adhùc et plerumque angustiores sunt ecclesiæ : quo fit ut multò plures incolæ ab ecclesiâ longè dissiti, propter aëris intemperiem aliasve causas, divinis ab officiis in magnum animæ suæ detrimentum faciliùs abstineant. Et si quandò pluvias, vel nimium solis ardorem, vel alia viæ longioris incommoda pro nihilo habentes, ad ædem sacram se conferant, sæpiùs exiguo loci spatio foris stare, sine ullâ tecti umbrâ vel protectione, miserè coguntur. Quàpropter omnes, sive in coloniis, sive in Galliâ, rebus publicis præpositos, precamur et obtestamur in Domino ut ad erigendas parochias et amplificandas ecclesias in hâc Provinciæ nostræ parte, ope mutuâ collaborent, ipsosque fideles adhortamur ut pro viribus ad sanctum hoc opus ferant auxilium, spontanei et hilares facti datores, quos diligit Deus.

IV. — Altaria fixa, hæreticorum civiliumque bellorum perturbatione ferè ubiquè destructa, ità paulatim restitui desideramus, ut singulæ saltem majores ecclesiæ altari suo præcipuo fixo, juxtà sacros canones, decorentur.

CAPUT VII.

De Cantu ecclesiastico.

I. — Sanctus ille zelus qui in laudem Dei nostris diebus exarsit, seu in reparandis templis ac de novo ædificandis, seu in investigandis ecclesiasticis antiquitatibus, et omnibus quæ ad Religionem pertinent in lucem proferendis, non foret plenus ac integer, nisi in divinâ psalmodiâ pro nostrâ clericali portione eluceret.

II. — Doctorum ergò hominum investigationibus aucti excitatique Clerici omnes cantum firmum seu planum, utpotè propriam Ecclesiæ musicam, summo studio excolant, ac canorâ suavique voce promere sciant. Hujus cantûs frequentes lectiones in majoribus et in minoribus nostris seminariis haberi, ac de eo bis in anno examen fieri volumus et mandamus.

Illum quoque à scholarum primariarum alumnis edisci, quà melius fieri poterit, vehementer exoptamus, maximè in coloniis ubi uni sæpè cantori incumbit omnes officii partes decantare.

Denique fideles omnes exhortamur ut, in divinis officiis, Clericorum cantibus voces suas semper conjungant.

III. — Musica interdùm in ecclesiis admitti potest, sed eâ lege ut gravis sit ac pia, nunquàm verò mundana, theatralis, profanasve redolens cantilenas.

CAPUT VIII.

De Cœmeteriis.

I. — Quæ apud omnes populos etiam ethnicos religiosæ semper fuit cura sepulturæ, hanc certè præcipuam esse decet apud Christi fideles qui in suorum defunctorum corporibus, Christi quondàm membra et Spiritûs Sancti templa venerantur, eorumque resurrectionem certissimâ fide exspectant. Hanc autem futuræ resurrectionis exspectationem, imò cujusvis futuræ vitæ fidem ex animis tollere et omninò, si possent, abolere, omni ope quùm conentur apud nos eheu! nec pauci nec infimæ notæ homines, hi omnes in abolendam simul cœmeteriorum nostrorum sanctitatem et religionem quasi manu factâ conspirant: quos nimiùm in hâc impietate adjuvat infirmorum quorumdam Christianorum negligentia.

II. — Ad tantum malum avertendum, quantùm possunt, invigilent Parochi ut sacris istis locis cura legibus ecclesiasticis et civilibus sancita non desit; ut sint benè septa, ab omnibus sordibus munda, ut nullo terantur confabulantium aut onera portantium pertransitu, sed

5

solis pateant piis defunctorum visitatoribus, qui quotiès ad suorum sepulchra vel ad crucem in medio erectam devotè oraverint, indulgentiam lucrari possint ab Ordinario concedendam.

III. — Si de novo creando cœmeterio agatur, prudenter à Parocho præmoneatur Episcopus, qui nimiam ab ecclesiâ distantiam vel aliud forsan incommodum poterit præcavere, nec ipse benedicet, nec à suis archipresbyteris aut decanis benedici sinet novum istud cœmeterium, nisi de ejus sanctitate juxtà Ecclesiæ regulas observandâ ipsi constiterit.

TITULUS III.

De Officiis Episcoporum et diversorum Ecclesiæ Ministrorum.

CAPUT I.

De Episcopis.

I. — Veterum Conciliorum, eorum speciatìm quæ Mediolani à S. Carolo Borromæo celebrata sunt, vestigia prementes, plura iis addi volumus quæ in ultimâ Burdigalensi Synodo de munere pastorali nostro reperiuntur decreta, ità ut non solùm nobis subditos, sed et nosmetipsos quoque doceamus.

II. — Omnibus etsi virtutibus fulgere debet Episcopus, utpotè in candelabro positus, ut luceat his qui in domo sunt, iis præcipuè eum adornari oportet quæ maximè ad hujus temporis statum rationemque pertinent.

Sit igitur in eo zelus ardens curaque de die in diem vigilantior, ut illos errores fugare valeat, illos vincere seculares mores quibus hodiè sacræ doctrinæ non solùm veritas læderetur, sed et corrumperetur sanctitas. Omnibus autem ingravescentibus erroribus, sic crescat Episcoporum zelus, ut cum prudentiâ, mansuetudine et doctrinâ, errantes corripiant et emendent. Si ad hanc

emendationem non profecerint, non ideò deficiant : « Nam, ut ait Chrysostomus, quod nostri muneris fuit « præstitimus, doctrinam fratribus committentes, sive « illi persuadeantur, sive non persuadeantur; si enim « persuasi fuerint, et de ipsis et de nobis benè mere-« buntur; si non fuerint persuasi, supplicium sibi accer-« sunt inevitabile, nobis autem ne tantillùm quidem « nocere poterunt[1]. »

III. — Quoniam autem *fides ex auditu* est, et sermo Christi sanat universa, inter præcipuas sui muneris partes habebit Episcopus missiones sacras fovere, et prædicantium sermones, quoad fieri poterit, verbo suo confirmare, sicque pia exercitia solemniter absolvere.

IV. — Episcopus in propriâ diœcesi sacrorum canonum custodiam habet, atque in id potissimùm incumbere debet ut quotquot Deo devincti atque Ecclesiæ obsequiis sunt specialiter mancipati, canonum statuta religiosè custodiant.

Illud quoque, *forma factus gregis ex animo,* non verbis tantùm aut præceptis, sed et exemplis Episcopus prosequi non omittet quod, per sacram Rituum Congregationem S. Sedes sæpè docuit : Ordinarius strictè tenetur providere, ut Rubricæ et S. Rituum Congregationis decreta ritè serventur[2].

---

[1] S. J. Chrysost. op. t. III. — [2] Dec. gen. 17 sept. 1822, nº 4, 440.

V. — Sponsam suam Ecclesiam unicè amet, eique toto cordis affectu adhæreat; eam vivus diligenter excolat, ditet et ornet; eam moriens rerum suarum, si non omnium, sacrarum saltem et de proventu ecclesiastico acquisitarum, testamento antè scripto, hæredem relinquere non negligat, ad mentem constitutionis Pii IX, die primâ Junii anni 1847[1].

VI. — Tandem quia, ut ait D. Thomas, Prælati in vitâ contemplativâ excellentes esse debent[2], orationi instabit Episcopus, ut gratiam obtineat in tempore opportuno ac ministerium suum supernæ virtutis rore fecundet.

CAPUT II.

De Canonicis.

I. — Ecclesiarum cathedralium Canonici, divinas laudes quotidiè in choro cantantes, angelorum, quorum munere funguntur, fervidos ardores æmulari studeant.

II. — Choro fidelissimè assistentes, sacram liturgiam et quæcumque sunt de ritibus decreta adamussim exsequantur; memores præsertim eorum quæ ergà chori

---

[1] C. *Cùm illud plurimi.* — [2] 2ª 2ª q. 182, a. 1, ad 1.

præfectum ac cæremoniarum magistrum in sacris functionibus observare debent juxtà Episcoporum cæremoniale « Nec tantùm eorum verbis acquiescant, sed et « oculos in ipsos convertentes observent; et illicò « illius nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu, quod « agendum sit significantibus, statim pareant[1]. »

III. — Canonici omnes, etiam honorarii, in choro præsentes, piè ac devotè divino cultui sint intenti, nonnisi divino officio cantando vacent, nec inter Missarum conventualium solemnia, vel etiam dùm horæ canonicæ persolvuntur, è choro discedant nisi ex rationabili et probatâ causâ.

IV. — In audiendis autem verbi Dei concionibus, in propriâ ecclesiâ frequentes esse Canonicos, et eo vestitu quo in choro, pro diversitate temporis, utuntur, indutos esse convenit.

V. — Ab omnibus accuratè servetur residentia, ac de absentiæ suæ tempore, quamdiù scilicèt protrahendum sit, cum Decano in capitulo conveniant, illà prudenti servatâ canonum præscriptione, ut semper numero sufficientes in civitate adsint, ne unquàm chori servitium interrumpatur, sed cum devotione, pietate et reverentiâ, et omni decore, ut par est, officium divinum peragi possit.

---

[1] Lib. I, c. v. 5.

VI. — Hæ autem leges nostræ utinàm ad transmarinas Provinciæ Burdigalensis Ecclesias spectare possent! Sed quanquàm de capitulis cathedralibus ibì erigendis Synodorum præcedentium vota nondùm sint impleta, firma tamen nobis spes manet brevi futurum ut, juxtà mandata Sanctæ Sedis Apostolicæ, in his coloniarum Ecclesiis Canonicorum capitula erigantur et constituantur.

CAPUT III.

De Archipresbyteris et Decanis.

I. — Archipresbyteri et Decani, juxtà jàm decreta in Concilio Burdigalensi anni 1850, de disciplinâ ecclesiasticâ, de ecclesiarum statu, de mandatorum litterarumque episcopalium asservatione, necnon et codicum parochialium, de sacræ liturgiæ observantiâ, de abusibus omnibus bono animarum noxiis, ac de iis quæ illud aut promovent aut retardant, de visitatione scholarum, et de cæteris hujusmodi, quomodò in suis se habeant districtibus, scripto ad Episcopum suum bis per annum referre non omittant[1].

---

[1] Concil. Burdig., Tit. IV, c. IX, p. 83.

II. — Illud quoque ab ipsis præstari volumus, quod ab eorum zelo maximè pendet, nempè ut in suo decanatu, collationes ecclesiasticæ juxtà statutas regulas fideliter habeantur, ac in illis ea omnia accuratissimè serventur quæ sunt præscripta; nec nisi cautè coràm laïcis extrà sessionis tempus de collationis quæstionibus disputetur.

III. — Archipresbyteri et Decani omnes, tanquàm sacrum depositum, ærarium diœcesanum sui districtûs custodiant et servent in arcà privatâ et distinctâ. Regulas quoque ad hujus rei ærariæ diœcesanæ perceptionem, ac statutis temporibus ad cancellariam Episcopatûs transmissionem spectantes, sedulò exequantur, ut ea in sacris rebus non deficiat cura quæ in civilibus tàm perfectè noscitur præstari.

IV. — Invigilent insuper ne quæsitores, quicumque sint, in suis districtibus collectas agant, nisi licentiam expressam ac scriptam Episcopi loci sibi exhibeant, ne fraudulenti quæsitores ac eleemosynarum injusti raptores diœcesanis piis operibus detrimentum afferant.

CAPUT IV.

De Parochis eorumque Vicariis.

I. — Parochorum ac Vicariorum vitam communem,

jàm in totâ ferè Provinciâ de facto et de præcepto vigentem, ubique apud nos induci vehementer optamus, propter immensa quæ ex ipsâ fluunt in clerum commoda.

Sed ad tale contubernium juxtà leges charitatis instituendum, necesse est ut Parochi juniores plerumque sacerdotes quos habent vicarios, quasi filios diligant, eorum defectus mansuetè portent; eosque non monitis tantùm dirigere curent, sed suis præsertìm exemplis ad fidelem sacrarum legum observationem eos informare. Quid est enim vicariatus nisi quoddam seminarii complementum, et quidem verè practicum, cui dùm præficiantur Parochi, creditos sibi juniores sacerdotes omni dilectione et curâ juvare debent; quatenùs vigorem virtutis sacerdotalis inter varias seculi insidias custodiant, sicque in hoc sacri ministerii tirocinio ad omne opus bonum instruantur?

II. — Vicarii autem Parochum velut patrem venerentur et ament, illius monita audire ac exequi, illi in omnibus obsecundare studeant, ut pia unitas servetur, sine quâ ægrè ac parùm proficit opus Dei. Illius mensam non deserant pro epulis alienis, nisi eo saltem præmonito; nec à presbyterali domo, nisi præmissâ loci indicatione, plures horas abfuturi egrediantur. Insuper domos non frequentent quæ, quantumvis honestæ, nihilominùs sacerdotali dignitati minùs concordare viderentur. Si quid fortè minùs gratum ex parte Parochi ipsis perferendum fuerit, humiliter taceant, pacis et boni communis intuitu sustinentes, seque ipsos consi-

derantes : meminerintque dictum Apostoli : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*[1].

III. — Quæ ad bonam parochiæ administrationem plurimùm juvare noscuntur, ea omnia sedulò servent animarum curam habentes. Missæ matutinæ aliorumque generatìm parochialium exercitiorum fixæ sint et diligenter teneantur horæ. Catechismi atque prædicationes, ad religionem propagandam asservandamque adeò necessariæ, accuratè ac regulariter fiant, prout in diœcesanis statutis provisum est, id est, cum brevitate, simplicitate sermonis, cum pietate, et pro captu audientium, præmissâ semper seriâ convenientique præparatione, sinè quâ nec suus honor, nec verus fructus prædicationi esse potest.

IV. — Missiones dari curent populo tempore convenienti, ac debitâ diligentiâ, accersitis confessariis ac prædicatoribus qui « sacra eloquia et salutis monita « familiari sermone explanare, eademque in omnium « cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere « et fideles in lege Domini erudire valeant[2]. »

Zelo zelantes animas sibi commissas, eas confraternitates instituant, quas experientia utiliores comprobavit ad pietatem fovendam. Pauperes, paterno quo decet affectu, singulos agnoscant ac piè sustentent. Morbo quolibet laborantes, non semel tantùm sed pluries visitent,

---

[1] Galat. VI, 2. — [2] Concil. Burdig. 1624.

et sedulâ usquè ad æternitatis portum vigilantiâ et fideli custodiâ perducant. Idcircò non renuant Parochi sanctissimam Eucharistiam iteratò, competenti tamen interposito tempore, deferre ad ægrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo, illam sæpiùs per modum viatici, percipere cupiunt, quùm naturale jejunium servare non valent.

Utque tollatur abusus, in quasdam præsertim nostrarum coloniarum partes lapsu temporum introductus, sacrum viaticum non deferendi nisi his qui per totam vitam suam laudabiliter sese gesserant, adoptamus quæ hâc de re recentior Synodus Portûs-Hispaniæ præscripsit, cujus verba referimus :

« Nullum ex hâc vitâ sinè viatico discedere sinat
« parochus post absolutionem illi datam ; quùm abso-
« luti et in gratiâ, uti moraliter post absolutionem est
« sperandum, constituti, jus habeant ad corpus D. N.
« J.-C. suscipiendum.

« Neque eorum culpabilis ignorantia circà fidei mys-
« teria cohonestare poterit abusum eis viaticum dene-
« gandi, vel status peccati mortalis, puta aut concu-
« binatus, usquè ad mortem protracti. Absolutionis enim
« capax non esset, si ignoret præcipua sanctissimæ
« Trinitatis et Incarnationis mysteria, vel si pœni-
« tentiæ signa non dederit. Ideò confessarii erit eos,
« quatenùs infirmitas et tempus permiserint, instruere
« circà illa mysteria sanctissimæ Trinitatis, Incarnatio-
« nis et Passionis D. N. J.-C. pro peccatis nostris,
« necessitatem sacramenti Pœnitentiæ ad peccata
« remittenda et æternam vitam comparandam atque

« realem præsentiam in sanctissimâ Eucharistiâ, in
« quantum eorum intelligentia id consentiat ; et posteà
« absolvere, obligatione iis imposita, si ex infirmitate
« convaluerint, amplioris et plenioris instructionis,
« atque deindè Eucharistiæ sacramentum administrare.
« Quoad verò personas in peccato constitutas, hæ
« regulæ et præcautiones serventur, quas prudentiores
« et doctiores theologi præbent, ut absolutio iis in
« mortis periculo impertiatur; quâ de re confessarius
« judicare debet, cujus erit post absolutionem viaticum
« moribundo administrare. In mortis discrimine enim
« constitutis omni modo occurrendum est. Sacramenta
« propter homines Christus Dominus dignatus est in-
« stituere. Neque est causa viaticum denegandi nimis
« culpabilis negligentia morientis qui nunquàm ad
« sanctam communionem accessit, quùm è contrario
« hæc potiùs sit ratio illud administrandi, ut præcepto
« Domini, antequam è vitâ discedat, satisfaciat : *Amen,*
« *amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii*
« *hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis*
« *vitam in vobis*[1]. De istâ negligentiâ sicut de aliis pec-
« catis doleat, et contritus absolvatur, ut viaticum
« deindè recipiat. »

V. — Suam sæpè sæpiùs visitare ac perlustrare parochiam debet Parochus, ut nihil eum lateat, et omnes et singuli, si possibile est, ab eo apprimè cognoscantur.

---

[1] Joann. VI, 54.

Idcirco, ut in Concilio Rupellensi provisum est, liber de animarum omnium statu, quantùm fieri poterit, ab eo privatìm instituatur.

VI. — Specialem ergà pueros curam exhibeat : juniores à teneris annis ad Ecclesiam attrahat, quò per varias zeli artes pietas et veritas usquè in ima cordis et mentis eorum insinuentur; illos doctrinam sacram pro eorum captu doceat; in sacro pœnitentiæ tribunali identidem audiat et ibì prima vitiorum germina ex eorum corde evellere, quosque peccato inquinatos deprehenderit, disponere et absolvere non negligat, quùm tanti intersit templa Dei viventia à spiritu nequam et omni immunditiâ custodire, et sic eos indefesso labore ad sacram ritè disponat synaxim. Quòd si lethali morbo laborant, qui jàm usum sufficientem rationis habent ad peccandum, et videntur confessionis et Extremæ-Unctionis capaces, de sacrâ etiam communione illis conferendâ Parochus non dubitet.

VII. — Quæ omnia uno tandem verbo complecti licet : piè sanctèque vivendum Parochis atque Vicariis. Benignè excipientes omnes sibi commissos, eos præcipuè Deo commendent, jugi oratione gratiam Dei postulantes; ità ut fideles de utroque loquentes æquè dicere possint : « *Hic est fratrum amator..... Hic est qui multùm orat pro populo*[1]. »

---

[1] II Machab. XV, 14.

CAPUT V.

De Confessariis tàm secularibus quàm regularibus.

I. — Confessarii omnes et juniores præsertim, munus hoc confessarii atque directoris animarum summo in pretio habeant, quo nimirum nihil præstantius ad bonos mores tuendos, si cum verâ doctrinâ et pietate exerceatur. *Dentur enim idonei confessarii,* dixit S. Pius V, P. M., *et ecce sanitas orbis terrarum.*

Confessarius idèo semper præ oculis habeat hanc legem ex ipso Rituali Romano depromptam : *Videat diligenter sacerdos, quandò et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio.*

II. — Porrò paucis abhinc annis, pristino ac imprudenti rigorismo successit apud multos cæca ac nimia facilitas, ex animi imbecillitate potiùs quàm ex animarum zelo procedens, quâ excessus graves, pravique mores haud aliter quàm levia tractantur, sæpiùsque prætermittuntur nullâ speciali adhibitâ medicinâ. Caveant ergò confessarii ne indiscriminatim et absque prudentiâ remittant vel retineant peccata, quin ea trutinati fuerint ad pondus sanctuarii. Pœnitentium habitudines curent ex veris principiis apud probatos auctores juxtà varios casus commendatis. Monita dare non negligant in omni caritate pœnitentis statui conditionique congruentia, nec prætermittant opportuna eis remedia præbere. Ex sanis et limpidis fontibus hau-

riant quæ decent ad casuisticæ et mysticæ scientiæ leges saltem primarias applicandas, et tandem in arduis quibusque difficultatibus ab Episcopo non dedignentur expostulare solutionem.

III. — Lugendum nobis est quod sæpiùs reconciliationis sacramentum fructu suo careat ex toto per defectum veræ contritionis, ex parte verò per defectum convenientis pœnitentiæ adimplendæ. Ideò confessarii omnes pœnitentem ad sinceram interioremque peccati detestationem adducere studeant, ac illi imponant pœnitentiam salutarem, prudenter insuper impellentes ad orationem et alias quasdam exteriores pœnitentiæ exercitationes.

IV. — Missionarii ipsi sciant se in animarum ministerio plurimùm proficere, si non desistant quoad habitudinarios à regulis sanæ theologiæ moralis, attentâ nihilominùs gratiæ abundantiâ, necnon exercitiorum spiritualium vi ac virtute, quæ sanè multùm juvant ad animarum curationem citiùs obtinendam.

V. — Quoad officia conjugatorum, et abusus, ac vitia, eheu! nostris temporibus frequentiora, prudenter juxtà regulas sanctæ Ecclesiæ agant confessarii, attendentes ad has propositiones responso Sacri Officii diei 21 Maii anni 1851 damnatas, quas ad calcem Concilii nostri reponi volumus[1].

---

[1] *Vide ad calcem*, n° X.

CAPUT VI.

De moribus et conversatione Cleri.

I. — Quæ in hujus Provinciæ, tàm veteribus quàm recentioribus Synodis, de moribus et conversatione Cleri providè sancita fuerant, iterùm jugi omnium sacerdotum nostrorum meditationi commendanda duximus. Non enim sinè magno animi nostri dolore quædam interdùm in domo Dei exoriri scandala videmus, inter Ecclesiæ ministros non nominanda, quæ accuratior decretorum nostrorum observantia feliciter impediisset. Meminerint igitur clerici omnes se in sortem Domini vocatos, non solùm ab omni vitio longissimè abesse, sed etiam omni virtutum genere ornari debere, *spectaculum* factos, ut ait Apostolus, *mundo et Angelis et hominibus, nemini dantes ullam offensionem, ne vituperetur* ipsorum *ministerium*, sed in omnibus exhibentes semetipsos *sicut Dei ministros*[1].

II. — Sed et hæc specialiùs iis commendamus : Profanis et secularibus negotiis, iis præsertim quæ matrimoniorum negotiationes spectant, non se immisceant. — Avaritiam studiumque pecuniæ, quasi matrem

[1] Cor. 4-9 et II Cor. 6-3.

omnium vitiorum, fugiant. — Ab omni ludo immoderato aut aleatorio aut lucroso abstineant. — Commessationibus tumultuosis minùsque honestis ac nuptiarum epulis non intersint. — Forum, mercatus, nundinasque fugiant. — Coram judice laïco lites nunquàm, inconsulto Episcopo, ineant. — Non sint procaces aut dicaces, neque profanis et mundanis cœtibus sese adjungant, scurrilitatem verborum sicut et operum devitent. — Habitum ecclesiasticum fideliter gestent. — A librorum prohibitorum lectione abstineant. — Ne cum laïcis nimiùm familiariter agant : ità enim minus honorificè etiam apud bonos mox haberentur. — Meminerint non sinè ecclesiastici honoris damno quosdam adhùc minùs observasse prohibitionem tabaci fumifici, factam in Concilio Burdigalensi [1], quam denuò renovamus : id enim mores nostri non ferunt in clericis. — In iisdem domibus frequentandis, præsertim ubi mulieres juniores versantur, non sint assidui. Quùmque à superioribus, vel etiam ab aliis fide dignis, de obmurmuratione indè apud populum exortâ moniti fuerint, monitioni statìm pareant, nec, prætextu falsæ accusationis, pertinaces in contemnendo paterno vel amico consilio se ostendant. Pluribus enim id maximæ ruinæ causa fuit. — Longas et frequentes peregrinationes devitent, et sacram residentiæ legem amanter observent. — Nimiam familiaritatem ususque mundanos inter se vitantes, se

---

[1] Tit. IV, c. XII, 4, p. 92.

mutuò et revereantur et honore præveniant et caritate diligant, et, si opus sit, fraternâ monitione adjuvent. — Tandem sint orationi, sive mentali sive vocali, assidui; sacræ Scripturæ, theologiæ, sacris canonibus aliisque scientiis ecclesiasticis quotidiè dent operam, potiùs quàm otio aut vanis confabulationibus, aut cursitationibus tempus terant. Vitam deniquè omnem regulâ certâ et fixâ dirigant, hujus verbi memores : *Qui regulâ vivit, Deo vivit*[1].

---

[1] Gregor. Nyssen.

TITULUS IV.

De quibusdam malis hujusce temporis.

CAPUT I.

De Blasphemiâ.

I. — Quamvis, favente Deo, mores Provinciæ nostræ mansuescere videamus, dolemus tamen paucis in locis persistere, aut etiam recrudescere, nefandam blasphemandi consuetudinem. Non raró etenim per urbium plateas, per ruricolarum vicos, imò et in cultiorum hominum conventibus, funestæ voces sonant quibus fidelium aures læduntur et mentes contristantur.

II. — Nemini tamen licet ignorare quàm grave sit blasphemiæ peccatum, imò et in se peccatorum maximum, quo Deus directè impetitur, et dehonestatur sanctum et terribile Nomen ejus : undè Angelicus Doctor asserit blasphemiæ peccatum ad idem genus cum infidelitate pertinere, ipsamque aggravare, et esse omnibus qui apud inferos suorum scelerum pœnas luunt, commune[1]. Non mirum ergò delictum istud pessimum in

---

[1] 2a 2æ quæst. 13, art. 3 et 4.

veteri lege morte fuisse punitum, dicente Deo : *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*[1]. Hinc, in jure canonico, tàm multiplices pœnæ, quibus etiam olim personabant edicta potestatis civilis in blasphematores decreta.

III. — Provideant ergò parochi zelantes gloriam Dei et honorem Nominis ejus sanctissimi, ut ab ovibus suis omni ope et operâ hanc detestabilem blasphemiæ consuetudinem evellant et eradicent. Hortentur vividiùs parentes ut primùm sibimetipsis invigilantes ori suo custodiam ponant, ne unquàm declinent in verba blasphemiæ, ut liberos, domesticos omnemque familiam in Christianâ semper verborum honestate contineant, servantes in cordibus illud Apostoli dictum : *Omnis blasphemia tollatur à vobis*[2]. Insuper populum sibi commissum repetitâ sæpiùs concione edoceant, quàm grave istud secundum decalogi præceptum : « *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*[3] »; quàm sedulò vitanda verba vel leviter blasphemiam sonantia aut ad blasphemiam accedentia, quàm deniquè sit lubricum iter in hâc materiâ inter mortale et veniale.

Quapropter obsecramus in Domino carissimos cooperatores nostros ut zelanter faveant piis sodalitatibus quæ, postremis hisce temporibus erectæ, blasphemias reparandas moremque detestabilem de medio tollendum specialiùs intendunt.

---

[1] Levitic. XXIV, 16. — [2] Ephes. IV, 31. — [3] Exod. XX, 7.

CAPUT II.

De Superstitionibus et Artibus illicitis.

I. — Quùm inter varias, quæ nostris temporibus irrepsêre, superstitiones et artes illicitas, non ultimum sanè locum teneant certò damnandi abusus magnetismi, utpotè religioni, societati domesticæ et civili summoperè noxii; cùmque ad tales abusus reprimendos et avellendos, potissimum nobis ultrò sese offerat remedium in promulgatione decretorum quæ eâ de re Sancta Sedes edi mandavit, in præsenti intendimus promulgare et reverâ promulgamus Encyclicam sacræ Romanæ universalis Inquisitionis, ad cunctos orbis Episcopos directam, die 4ª Augusti anni 1856, adversùs magnetismi abusus, in quâ, his abusibus damnatis, nihilominùs ea quæ de arduâ quæstione forsan sibi scientia vindicare potest intacta servantur[1]. Præcipimus ergò ut omnes et ii præsertìm qui curam habent animarum, illi integrè et absolutè in praxi adhæreant, nec qualicumque modo ab eâ declinent.

II. — Instanter prætereà adhortamur parochos ut indeficiente zelo laborent in mundando agro ipsis concredito à variis aliis superstitionibus quæ, velut prava

---

[1] *Vide ad calcem*, nº XI.

germina, ex ignorantiâ erumpentes, ac inter ruricolas præsertìm gliscentes, fidem sæpè moresque corrumpunt ac insuper ansam præbent Ecclesiæ sanctæ hostibus, sive eam impugnandi, sive pietatem religionemque in ludibrium vertendi. Ideò nitendum ut ex quibusdam coloniarum partibus evellantur ultima priscarum superstitionum semina : in his, insana consuetudo, è veteribus Sanctorum sortibus fortè delapsa, quâ ex acupunctis de Imitatione Christi libris occulta et futura detegi creduntur.

Item arceantur et alii usus superstitione non vacui, qui, quasi morbos quoscumque propulsandi vim haberent, in nonnullis Provinciæ nostræ locis adhùc supersunt, in commune animarum et corporum detrimentum.

CAPUT III.

De Desertione agrorum et Immigratione in urbes.

I. — Est et aliud malum de quo omninò silere non possumus, nimius videlicèt ardor præcipuas in urbes, relictis agris, migrandi, ut quandòque fit in nonnullis Provinciæ nostræ partibus. Timendum sanè videtur ne istiusmodi migratio, levioribus de causis suscepta, vanâ nimirùm curiositate, lucri fallacis appetitu, vitæque liberioris, mollioris aut etiam elegantioris amore, in magnum non privatorum modò, sed et societatis tùm religiosæ, tùm civilis vergat detrimentum.

II. — At certè neminem latet in quanta sese conjiciant pericula incauti juvenes utriusque sexûs, qui, postquàm se parentum vigilantiæ omniumque notorum oculis subtraxerint, arbitrio suo quasi permittuntur. Enimverò non raró fit ut neglectâ prorsùs religionis observantiâ, amissâque fidei et morum integritate, infelices, eheu! vanâ spe delusi, ad ima miseriæ et infirmitatis prolabantur. Nec minus certè, ut omnes nôrunt, societati immineret exitium, si nimia hominum multitudo, rura deserens, in magnas undiquè conflueret civitates, et præsertim in urbem quæ genti nostræ toti dominatur. Idcircò parochi rurales hortentur, si opus sit, fideles sibi commissos ne natale solum, seu, ut aptè dicunt, campanile, avitaque sepulchra deserentes, ex florentibus agris in fumosarum urbium tecta temerè discedant. Item moneant tùm parentes, tùm scholarum magistros, sivè religiosos, sivè laïcos, ut, omni quâ pollent auctoritate, juvenes ab inutili et præposterâ migratione avertant, nec unquàm eos impellant ad ambiendum et capessendum vitæ statum quem prudentia vetet, utpotè eorum conditioni et opibus minimè accommodatum. Summoperè caveant et ipsi sacerdotes propinquorum amori plus æquo indulgentes, ne in id vitii minùs prudenter incidant.

III. — Utilissimum etiam foret præcipuos fundorum cujusque loci dominos quâ decet prudentiâ monere, quanti ipsorum intersit opes suas ferè integras in urbibus non consumere, sed agros suos saltem sæpè visitare, si non ibi commorantur; agricolas consiliis et

adhortationibus excitare et adjuvare; congruam deniquè redituum suorum partem in suscipienda et perficienda opera impendere, undè mercenariis familias suas honesto labore faciliùs alendi et educandi detur facultas.

Sacerdotes tandem scholis specialibus faveant nuper institutis, ubi utriusque sexûs juvenes christianè informantur, tùm ad agrorum culturam, tùm ad diversas artes quibus honestè inter suos posteà victum quærere valeant.

IV. — Non parùm autem ad hæc omnia obtinenda conduceret, si publica Potestas, ergà rem agrariam jàm sollicita, familias agriculturæ penitùs deditas, plurimâque prole florentes, communibus aliquantulùm levaret oneribus, et congruis honoribus aliquo modo adornaret.

CAPUT IV.

De Scholis mixtis.

I. — Dolendum valdè quod multis adhùc in locis hujusce Provinciæ exstent scholæ, mixtæ religionis nuncupatæ, in quas indiscriminatìm pueri etiam acatholici cum nostris admittuntur. Neminem fugit quantum in damnum religionis cedat tale consortium, si quidem tenella puerorum catholicorum fides in discrimen venit,

et exindè latiùs serpit indifferentismi labes. Tanto huic periculo, pro munere nostro pastorali, occurrere volentes, istiusmodi scholas improbamus, ex mente Sanctæ Matris Ecclesiæ quæ eas semper, pro posse suo, impedivit, aut, si quandò pro bono pacis tolerandas duxerit, salutares saltem præscripsit cautiones, quibus propriorum filiorum fides et pietas intactæ servarentur. Admoneant igitur parochi parentes, ut ab istis scholis filios suos avertant, ipsique plurimùm instent ut catholicis pueris scholæ speciales aperiantur. Si autem votis aliquandiù frustrentur, invigilent saltem, jure suo utentes scholas illas visitandi, et ea omnia præstent quibus in tuto sit puerorum catholicorum fides.

Denique, apud scholas mixtas superioris ordinis, si quæ forsan in disciplinis tantùm litterariis pro necessitate tolerantur, omninò saltem providendum est ut, juxtà admonitiones apostolicas frequenter iteratas, magister de religione et de historià disserens sit orthodoxus, neque libri ulli adhibeantur nisi catholicam doctrinam redolentes.

II. — Nec parùm etiam dolendum quòd apud nos exstent quoque diversi sexûs scholæ quæ innocentiæ puerorum tanto sunt offendiculo. Rogamus ergò nostros in Domino cooperatores, ut eis dè medio tollendis semper et toto nisu intendant. Opportunè igitur et importunè, prudenter tamen, instandum apud magistratus, necnon apud pios et beneficos parochianos, ut speciales, ubicumque opus fuerit, pro puellis erigantur scholæ. Cùm verò minorum parochiarum reditus sæpiùs ad id

sint impares, hortentur saltem ut, quod jàm in multis locis obtinuit, scholis utrique sexui communibus præficiantur moniales aut piæ feminæ, undè minor impensa, et major pro morum incolumitate sit securitas. Ubì autem erit subeunda scholæ communis necessitas, eam frequenter visitent parochi, sedulò advigilantes ut omnia secundùm ordinem et regulas fiant.

III. — Plaudimus idcircò illi prudentissimæ ordinationi in quibusdam locis, ubì unica est schola, institutæ, quâ manè puellæ tantùm, vespere pueri ad eam mitterentur; sicque rusticationis labori, morum incolumitati, et diuturniori scholæ frequentationi provideretur.

TITULUS V.

De Studiis ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Scholis secundariis in genere quas sacerdotes regunt.

I. — « Quùm adolescentium ætas, nisi rectè instituatur, prona sid ad voluptates sequendas, et nisi à teneris annis ad pietatem et religionem informetur, » (Conc. Trid. sess. XXIII, c. 18) in vetitum naturali impetu ruere soleat, pueros maturè instruere et regere solemne habuit Ecclesia catholica. Quam rem curare si semper necesse fuit, quantò magis hisce temporibus quibus et mores solutiores et pravæ passim doctrinæ faciliùs grassantes, non tantùm societatem civilem invadunt, sed etiam ipsa familiæ penetralia commaculant!

II. — Monent Patres hujusce Concilii Aginnensis omnes quibus juventutem tradunt educandam magistros, ut ministerium suum, Ecclesiæ et reipublicæ christianæ utilissimum, honorificent, ideòque munus suum ament, multam operam in studendo pensisque præparandis ac

corrigendis ponant; non terant tempus in legendis leviusculis libellis et diariis, quæ innumera ætas nostra profundit; puerorum animis se penitùs insinuare et mentes potissimum regere conentur; in observandâ regulâ domûs ecclesiasticæ in quâ magisterium exercent, alumnis præeant, et propriæ itidem regulæ quam ipsis præscripsit Episcopus alacriter obediant.

III. — Præter seminaria minora, in quibus, juxtà mentem Concilii Tridentini, pueri litteris et scientiarum elementis imbuuntur, et moribus clericalibus à teneris assuescunt, habent etiam variæ diœceses Burdigalensis Provinciæ aliquas scholas, *collegia ecclesiastica* nuncupatas, in quibus juvenes, imprimìs laïci, liberalibus artibus student, ut posteà piè ac religiosè educati, vitam christianam in seculo agant, sacerdotalis ministerii quasi adjutores. Meminerint horum collegiorum magistri quàm utile sit hanc juventutem, familiæ et patriæ spem, fidei et scientiæ afflatu, florere et fructibus abundare.

IV. — Nec magistri, quanquàm benè informati, se suo officio ritè fungi posse præsumant, nisi scientiam suam semper nutriant, imò et augeant, atque in difficili pueros educandi arte magis ac magis proficiant. Ideò volumus et statuimus ut in quâcumque ecclesiasticâ domo collationes frequentes habeantur de benè regendis pueris et de doctrinâ præsertim grammaticali, quibus adsint et allaborent magistri, et de quibus relatio bis in anno ad Episcopum mittatur.

V. — Clericis omnibus qui in nostrâ Provinciâ puerorum institutionem curant diligentissimè commendamus ut lectitent eximios illos libros, sive pridem notissimos, sive recentes, qui de erudiendis et educandis pueris et adolescentibus tractant, et quos opportuniores et probatiores judicaverit Episcopus.

CAPUT II.

De majoribus Seminariis.

I. — Eorum est qui præsunt rei publicæ cavere ne munita loca mœnibus et propugnaculis exuantur, hostique apertâ regione relinquatur. Has quoque pietatis clericalis scholas et quasi sacerdotii oppida exagitaret spiritus nequam et occuparet, ni pastorum vigilantia fideli præmuniret custodiâ.

Itaque Patres Concilii Aginnensis, decreta Synodi Burdigalensis renovantes et fusiùs explicantes, auferre volunt quidquid humanâ forsan fragilitate contrà hæc decreta irrepserit. Hæc præcipuè notanda ducunt.

1. — Caveant adolescentes ne intuitu temporalis commodi majoribus seminariis adscribi præsumant, donum Dei nescientes, nec suo pretio æstimantes.

2. — Caveant ab odio salutaris cujuslibet freni et regulæ impatientiâ, quo vitio præsertìm laborat nostra

hæc ætas, et quo nullum sacerdotali vocationi magis est contrarium. Non possunt enim, qui sic propriæ voluntati serviunt, leges non sæpè contemnere, eorum omnium quos præpositos habent sapientissima etiam carpere mandata, ipsosque pastores ausu temerario impetere.

3. — Monet et pro Deo hortatur enixè clericos Synodus nostra Aginnensis ne sint ex iis quos dicit Spiritus Sanctus seipsos amantes et quærentes quæ sua sunt, quique, si non fuerint saturati, murmurabunt : meminerint in sortem Domini vocatis spiritu vivendum, spiritu et ambulandum.

4. —Luxum omnem abhorreant, memoresque verborum Synodi Burdigalensis (Tit. IV, c. 12), « nec capillos more mundano nutriant aut tondeant; in omni eorum habitu clericali, nec affectata cultûs et elegantiæ diligentia, nec sordes et nimis abjecta incuria appareant. »

5. — Feriarum tempus aliam novitiatûs clericalis formam esse noverint, et quæ in seminarii solitudine operosâ didicerint, jàm publicè exequantur, pietatemque laborem et disciplinam sectentur. Parochos adjuvent in iis operibus ministerii quæ suis ordinibus competunt, in visitandis ægris, rebusque omnibus quæ ad divini cultûs honorem et ecclesiarum munditiem atque decentiam pertinent.

Vitent intereà nimiam laïcorum et imprimìs mulierum familiaritatem, publicos conventus itineraque inutilia. Non sint otiosi aut garruli; ab insulsis et scur-

rilibus verbis abstineant, nec numerentur inter derisores quos divina sapientia reprehendit. Ità demùm omnem vitæ suæ rationem instituere discant, ut nihil unquàm præ se ferant nisi grave, moderatum ac religione plenum.

II. — Præcipit Synodus Aginnensis ut prima theologiæ elementa in majoribus seminariis penitùs ediscantur, valdèque exoptat ut quotannis et per integrum annum loci theologici, in gratiam tironum limen scientiæ sacræ adeuntium, accuratissimè indagentur.

His quas docent rebus magistri spiritum et vitam infundant, discipulisque instillent pietatem, nempè luculenta intermiscendo sanctorum Patrum loca, pro opportunitate, et maximè doctrinam D. Thomæ Aquinatis quotidiè hauriendo, quam de fontibus Patrum propinavit.

Scripturam sacram, primarium omnis theologiæ fontem, præcipuo studio addiscant, auxilio identidem adjuti interpretum in Ecclesiâ catholicâ probatorum.

Sacræ liturgiæ scientiam clerici diligenter edoceantur, quò breviùs et faciliùs è seminario in totam diœcesim divini cultûs et doctrina et peritia deriventur.

Ità cantum Ecclesiasticum discant et de hoc examinentur ut non modò divina officia decenter suaviterque decantare possint, sed etiam ipsi pios adolescentes hunc planum cantum in parochiis docere.

III. — Ad Clerum coloniarum quod attinet, ex Galliâ totum ferè adventitium, gratias certè agunt insularum

Episcopi piis Præsulibus qui clericorum suorum dono coloniarum inopiam ditaverunt, eosque obsecrant ut ista necessaria caritas numquam deficiat; nec tamen intereà clericos ex ipsis coloniis oriundos, in ipsis coloniis instructos et quasi formatos sibi in posterum acquirendi spem abjiciunt, ubi præsertim summus Pontifex illas novas sedes erigens de seminariis instituendis providus mandavit, et non sinè fructu jam fuit primum aliquod rei hujus valdè difficilis tentamen.

Curent igitur parochi et scholarum magistri si quæ in pueris sibi commissis ecclesiasticæ vocationis indicia dignoscant, pretiosa hæc germina fovere ac nutrire quæ quidem cura in parentibus sit præcipua. Hi autem meminerint filios non tam suos quam Dei esse, cui vocanti et eligenti obsistere crimen sit et grande periculum, cui obedire et se suosque libenter offerre, summum decus, summa felicitas, patriæ salus et animarum copiosa redemptio.

CAPUT III.

De minoribus Seminariis.

I. — Sciant qui juventuti clericali educandæ præsunt magistri, adolescentium animos, cereos in vitium flecti, mundi contagione citò depravandos, nisi malum hunc spiritum, cui miserè seculum servit ac famulatur, continuò amoveant.

Quapropter hanc suam formam, quam minoribus seminariis indidit sancta Synodus Tridentina, fideliter volumus retineri.

II. — Excolantur à primis annis inter horum alumnos exquisiti illi urbanitatis et comitatis mores qui ornamento et dignitati sunt clericis, nedùm à Christianâ pietate abhorreant. Omni autem diligentiâ et instanti sollicitudine servetur Ecclesiastica juventus à mundano cultu et à naturali ad corpora plus æquo curanda proclivitate, dicente Apostolo : *Nolite conformari huic seculo;* nos enim *non spiritum hujus mundi accepimus.*

III. — Quoad clericalem habitum et tonsuram, ubi visum erit Episcopo, iis adolescentibus conferantur, qui pietate, labore et sufficienti profectu in litteris id meruerint, et quorum, ut vult sancta Tridentina Synodus, et mandat Concilium Burdigalense, indoles et voluntas spem afferant eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inservituros.

Juniores autem pueri, ut ab ipsis tenerioribus annis clericalibus initientur moribus, sacelli choro assistant, canant et inserviant, eo habitu et eâ modestiâ quæ Ecclesiam decent.

IV. — Cæterùm omnia quæ jàm sanxit eâ de re ultima Burdigalensis Synodus (Tit. V, cap. 2) et quæ hìc statuimus, volumus à moderatoribus seminariorum nostrorum sæpè legi, sedulâ meditatione recoli, et etiam magistris explicari, potissimum in suprà dictis collationibus.

V. — Rationem studiorum, de consensu Episcopi, seminariorum moderatores ordinent et tueantur servandam, atque in eâ exsequendâ invigilent, ut discipuli benè potiùs opus, quàm multùm operis absolvant.

VI. — Pueri non linguæ latinæ grammaticam, nisi gallicæ linguæ elementa congruenter edocti, aggrediantur; latinam verò, utpotè Ecclesiæ catholicæ propriam, diligentissimè ac præcipuè ediscant. Sedula item cura græcæ linguæ docendæ et discendæ impendatur. In utriusque enim comparandâ cognitione summa stat classicorum, ut aiunt, studiorum; meminisseque perpetuò debent scholarum nostrarum magistri, à clero nunc ut olim, bonarum litterarum fortunam pendere.

Linguam porrò latinam quò fideliùs servet clericalis ordo, methodos illas commendamus, tantorum virorum experientiâ probatas, quarum ope floruerunt antèactis temporibus res litterariæ, et eximiorum manet scriptorum gloria superstes.

Ne verò in legendo et in dicendo, tùm latinè, tùm gallicè, peritia negligatur et decidat, eam vocis nitiditatem et discretam verborum claritatem, quâ sermo lucet placetque, quotidiè à discipulis observari curent magistri, et insuper publicæ lectionis et recitationis instituantur exercitia. Clericis omnibus hæc Pontificalis Romani (*De ord. Lect.*) verba juvat hùc referre : « Studete verba Dei, videlicet lectiones sacras, distinctè et apertè, ad intelligentiam et ædificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis, proferre; ne veritas

divinarum lectionum incuriâ vestrâ ad instructionem audientium corrumpatur. »

CAPUT IV.

De Examine sexennali juniorum sacerdotum.

I. — Quæcumque de sexennali juniorum sacerdotum examine, necnon de concionibus scribendis et in isto examine dijudicandis, à Concilio Burdigalensi (Tit. V, cap. 4) tàm providè sancita fuerunt, hæc omnia commendamus ac strictiùs etiam et accuratiùs servanda decernimus.

II. — Quoniam autem *dignus est operarius mercede suâ*, statuimus juniores sacerdotes titulum baccalaureatûs adeptos in theologiâ vel jure canonico per quadriennium tantùm, licentiâ verò decoratos per biennium examinandos esse; doctores deniquè ab omni examine esse solutos.

III. — Sed quùm nemini sua fraus aut negligentia patrocinari debeat, si quis huicce examini astrictus, negligentiâ aut quocumque prætextu, dispensatione non obtentâ, illud non subierit, vel congruenter non responderit, hunc declaramus ità legi subjectum remanere ut omnia examina numero prædicto nihilominùs et quidem convenienter absolvere teneatur.

CAPUT V.

De theologicis seu ecclesiasticis Studiis ampliandis

I. — Quæ constituta jàm fuêre in aliis Provinciæ nostræ Conciliis ut magis ac magis sacrorum scientiam excolant sacerdotes Domini, hæc in præsenti commendata iterùm atque præscripta volumus. Imò verò ut augescant illa theologica studia, tùm quoad materiæ amplitudinem, tùm præsertìm quoad seriam continuamque datam operam, et optamus vehementer et instamus. Quanquàm enim libenter fateamur ab omnibus Christi sacerdotibus, qui magnâ cæteroquin cum laude et utilitate variis in parœciis animarum saluti incumbunt, eminentem scientiam exquirendam exigendamque ut omninò necessariam minimè esse, tamen ut eminentiores sint quamplurimi, quis in Ecclesiâ Dei optandum imò aliquatenùs requisitum diffitebitur? In ea enim tempora incidimus quæ, quùm pestilentissimi omnis generis errores ingruant, quùmque impii homines veram omnem scientiam submoveant omnesque sophisticas fallacias adhibeant ut Christianam religionem humano generi inimicam, veritati contrariam, insulsam, ridiculam, absonam efficiant, à nobis profectò amplam, profundam, solidam theologicarum omnium scientiarum peritiam exposcunt jubentque. Itaque tùm adversùs eos qui veluti externi Ecclesiam Dei impetunt,

tùm adversùs eos qui in ipsius veluti sinu oriri possent errores, ut arma scientiæ suscipiant, quæ genuina et ampla theologia ministrat, iisque utantur quàmplurimi, non utile modo sed et necessarium ducimus et declaramus.

II. — Quapropter instituta jàm à nobis sunt quæ, ad id consequendum, maximè conducere valent, ac reipsâ satis quasi essent, modò scitè ac peritè iis utatur quicumque ingenio pollet, et Deum Ecclesiamque Christi amat, suique memor est sacerdotalis officii : id generis sunt ecclesiasticæ collationes, juniorum presbyterorum sexennale examen, gradus deniquè theologiæ et juris canonici, quæ omnia, post emensa jàm in seminariis prima studia, si vigilanti constantique animo arripiantur, quanti valeant ad pleniorem et ampliorem theologiæ acquirendam scientiam nemo est qui non videat.

III. — Id autem ut plenè aliquandò consequantur juniores, imprimis advertant volumus quâ debeant uti methodo. Ac primò quidem intelligant nullos fore in theologiâ progressus, nisi priùs philosophicis studiis diligentem operam navaverint, accuratissimæ quidem dialecticæ, tùm verò præsertìm metaphysicæ generali, in quâ, ut patet, tantoperè hodierni sophistæ errant ut in pantheismi monstrum devenerint; nec cæteras philosophicas partes negligant, quæ, si physicis notionibus corroborentur, viam aperiunt ad omnem feliciter pertingendam theologicam scientiam. In ipsis autem philosophicis studiis caveant ne à tritâ majorum nostrorum viâ facilè recedant : probatos verò in Ecclesiâ catholicâ

auctores unicè sectentur, sciantque divum Thomam sibi plurimùm prodesse posse ut ad theologiam quasi manu ducantur.

IV. — Hæc autem multis sanè constat, amplissimis quidem illis, partibus : Scripturâ sacrâ nempè, cujus litteralis, ut aiunt, sensus apprimè est arripiendus penitùsque attingendus, cujus etiam textus à pravâ crisi criticè doctèque vindicandus; theologiâ deindè sive dogmaticâ sive morali; Patrum scriptis et liturgiæ monumentis, jure canonico, historiâ ecclesiasticâ, et ipsâ archæologiâ, quatenùs præsertim ad dogmata, cultum historiamque refertur. Atquè ut plenè hauriatur omnis illa scientia, meminerint juniores nostri non à leviusculis et compendiosis auctoribus, non à diariis foliolisve esse repetendam, neque tantum opus per transennam aut brevi tempore fore consummandum; sed è contrà si ad fontes primævos deveniant, si à magnis principibusque doctoribus doctrinam derivent, si sanctos Patres non imparati adeant, in iisque, methodo tamen et ordine servatis, immorentur; si deniquè, ut verbo dicamus, quâlibet in materiâ, melioribus utantur auctoribus, eosque potiùsquàm eorum interpretes legant; si ipsimet acri constantique animo, diù legendo, meditando, scribendoque, totos se in studiis illis impendant. Neque tamen ità agant ut nimiam in operam veluti irruant, cuncta confusè colligendo, quod vires frangeret ipsamque pessumdaret scientiam.

Abhorreant autem ab illâ proprii sensûs existimatione et propriæ opinionis tenaciâ, quâ fit ut scientiâ

inflatus doctor, non ad utilitatem Ecclesiæ, sed ad ejus perniciem ingenium et studia convertat, humilitatisque et caritatis oblitus, non jàm pacem et ædificationem, sed lites, jurgia, legitimæque auctoritatis contemptum seminet. Pietatem verò perpetuò colant, et ad Deum qui Pater est luminum frequenter recurrant, propter quem ipsa illa laboriosissima studia suscipiuntur, quique illis benedicit, atque præmia est tandem collaturus æterna.

TITULUS ULTIMUS.

CAPUT I.

De Promulgatione Decretorum hujus Concilii.

Decreta hujus Concilii Provincialis nemo prælo subjiciat in lucem edenda aut promulget, antequàm à Sanctâ Sede Apostolicâ juxtà Constitutionem Sixti V, quæ incipit *Immensa*, expensa et recognita fuerint. Litteris autem, quibus illa recognoscantur, à SANCTITATE SUA obtentis, ea statim imprimantur, impressaque à singulis Episcopis, vel in Synodo diœcesanâ, vel si celebrari nequeat, extrà Synodum quamprimùm promulgentur.

CAPUT II.

De Indictione futuri Concilii Provincialis.

Cum Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decretis statutum sit, ut, quolibet saltem triennio, celebrentur Concilia Provincialia; ut Ecclesiæ menti obsequamur : Nos

Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, Dei et Sedis Apostolicæ gratiâ, S. R. E. Cardinalis Presbyter Tituli Sanctæ Mariæ *in viâ*, Archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniæ Primas, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium, proximum Concilium hujus Provinciæ anno millesimo octingentesimo sexagesimo secundo celebrandum, loco et tempore ulteriùs indicendis, jam denuntiamus et indicimus omnibus qui adesse debent.

Subscriptiones Episcoporum.

Nos, Ferdinandus-Franciscus-Augustus Donnet, Dei et Sedis Apostolicæ gratiâ, S. R. E. Cardinalis Presbyter Tituli Sanctæ Mariæ *in viâ,* Archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniæ Primas, hæc decreta à Nobis, de consensu et consilio Reverendissimorum Coepiscoporum nostrorum definita, subscripsimus.

† FERDINANDUS CARDINALIS DONNET,

ARCHIEPISCOPUS BURDIGALENSIS.

Ego, Joannes-Baptista-Amedæus-George, Episcopus Petrocorensis et Sarlatensis, subscripsi.

† JOANNES,

EPISCOPUS PETROCORENSIS ET SARLATENSIS.

Ego, Joannes-Amatus de Levezou de Vesins, Episcopus Aginnensis, subscripsi.

† JOANNES,

EPISCOPUS AGINNENSIS.

Ego, Theodorus-Augustinus Forcade, Episcopus Imæ-Telluris, *in insulâ Guadalupâ*, subscripsi.

† AUGUSTINUS,

EPISCOPUS IMÆ-TELLURIS.

Ego, Ludovicus-Franciscus-Desideratus-Eduardus Pie, Episcopus Pictaviensis, subscripsi.

† LUDOVICUS-EDUARDUS,

EPISCOPUS PICTAVIENSIS.

Ego, Antonius-Carolus Cousseau, Episcopus Engolismensis, subscripsi.

† ANTONIUS-CAROLUS,

EPISCOPUS ENGOLISMENSIS.

Ego, Franciscus-Augustinus Delamare, Episcopus Lucionensis, subscripsi.

† FRANCISCUS-AUGUSTINUS,

EPISCOPUS LUCIONENSIS.

Ego, JOANNES-FRANCISCUS-ANNA-THOMAS LANDRIOT, Episcopus Rupellensis et Santonensis, subscripsi.

† JOANNES-FRANCISCUS-ANNA-THOMAS,

EPISCOPUS RUPELLENSIS ET SANTONENSIS.

Ego, IGNATIUS SCHWINDENHAMMER[1], Illmi ac Rmi D. D. AMANDI-RENATI MAUPOINT, Episcopi Sancti-Dionysii, *in insulâ Unionis,* Procurator designatus, subscripsi.

IGNATIUS SCHWINDENHAMMER,

Procurator designatus.

Ego, PRUDENTIUS GUESDON[2], Illmi ac Rmi D. D. LUDOVICI-MARTINI PORCHEZ, Episcopi Sancti-Petri et Arcis-Gallicæ, *in insulâ Martinicâ,* Procurator designatus, subscripsi.

P. GUESDON,

Procurator designatus.

---

[1] Superior generalis Congregationis Sancti-Spiritûs et S. Cordis B. V. Mariæ.

[2] Vicarius generalis Illmi ac Rmi Episcopi Sancti-Petri et Arcis-Gallicæ.

ACTA
CONCILII AGENNENSIS.

ACTUM PRÆVIUM.

Anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo nono, die septimâ septembris, pridiè Nativitatis Immaculatæ Mariæ Virginis, horâ pomeridianâ secundâ, in civitate Aginnensi, ad Concilium provinciæ Burdigalensis celebrandum, juxtà indictionis litteras ab Eminentissimo Metropolitano die vigesimâ nonâ mensis aprilis datas, omnes ejusdem provinciæ convenere Præsules; et quidem summo cum religionis honore pietatisque fidelium ædificatione et incremento. Verè etenim memoranda festiva illa dies, quâ civitas Aginnensium sinu suo Christi legatos alacri cum zelo excipiens, venerationis, quâ cum successoribus Apostolorum devincitur, tam magnificum exhibuit omnibus argumentum; in hoc eò magis gratulanda quò magis spontanea fuit ista civium religionis manifestatio.

Eminentissimo Metropolitano quem sequebatur Concilii Patrum caterva obviavit RR. DD. Aginnensis Episcopus, cum universo capitulo, necnon ex civitate et ex omni diœcesi affluente clero. Triumphali quasi incessu, medios inter pressi populi fluctus, sequentibus magistratibus militumque præfectis, quorum studio

debita laus sileri non potest, profusis undiquè sertis et floribus, ac multiplicatis elegantis architecturæ monumentis, inscriptionum et ornamentorum ingenio ac varietate conspicuis ex quo primùm civitatem ingressi sunt, largâ manu et absque intermissione, præ fidelium pietate ac multitudine, benedictionem effundentes, ad Ecclesiam Cathedralem, et à Cathedrali usquè ad Seminarium incedebant Concilii Patres.

Cujus præclarissimi religionis triumphi memoriam in hujusce Concilii actis conscribendam esse iidem Patres voluere.

Sanè etenim laudandi erant Aginnenses qui omni pietate prosequi non dubitârunt quos sic singulis trienniis, ex quo jàm Conciliorum coadunandorum facta fuit facultas ac licentia, præcepti Tridentini urget studium.

Omnes peramanter et quàm honestissimè in ædes Seminarii Majoris RR. DD. Aginnensis Antistes excepit Episcopos nec non et Procuratores Episcoporum absentium, deputatos Capitulorum et alios sacerdotes Concilii adjutores, quos, pro facultate ipsis à jure factâ, ad Synodum vocaverant Præsules.

Adfuerunt igitur præter Eminentissimum ac Reverendissimum Metropolitanum DD. FERDINANDUM-FRANCISCUM-AUGUSTUM DONNET, S. R. E. Cardinalem Presbyterum tituli Sanctæ Mariæ *in viâ*, Aquitaniæ Primatem,

Ill. ac Rev. DD. JOANNES-BAPTISTA-AMEDÆUS GEORGE, Episcopus Petrocorensis ac Sarlatensis;

Ill. ac Rev. DD. JOANNES-AMATUS DE LEVEZOU DE VESINS, Episcopus Aginnensis;

Ill. ac Rev. DD. THEODORUS-AUGUSTINUS FORCADE, Episcopus Imæ-Telluris *(in insulâ Guadalupâ)*;

Ill. ac Rev. DD. LUDOVICUS-FRANCISCUS-DESIDERATUS-EDUARDUS PIE, Episcopus Pictaviensis;

Ill. ac Rev. DD. ANTONIUS-CAROLUS COUSSEAU, Episcopus Engolismensis;

Ill. ac Rev. DD. FRANCISCUS-AUGUSTINUS DELAMARE, Episcopus Lucionensis;

Ill. ac Rev. DD. JOANNES-BAPTISTA-FRANCISCUS-ANNA-THOMAS LANDRIOT, Episcopus Rupellensis ac Santonensis ;

Rev. D. Ignatius SCHWINDENHAMMER, Superior Generalis Congregationis Sancti Spiritûs et Sanctissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis, Vicarius Generalis trium Episcoporum coloniarum, et Ill. ac Rev. DD. AMANDI-RENATI MAUPOINT, Episcopi Sancti-Dionysii *(in insulâ Unionis)* Procurator ;

Rev. D. Prudentius GUESDON, diœcesis Sancti-Petri et Arcis Gallicæ Vicarius Generalis, Ill. ac Rev. DD. LUDOVICI-MARTINI PORCHEZ, Episcopi Sancti-Petri et Arcis Gallicæ *(in insulâ Martinicâ)* Procurator.

Reliquorum verò qui Concilio intererant accuratè describuntur omnium nomina in instrumento authentico primæ congregationis generalis.

CONGREGATIO GENERALIS I[a].

Eâdem die septimâ septembris, horâ vespertinâ octavâ, habita est congregatio generalis prima ad admissionem, sivè Deputatorum Capitulorum, quorum jamjam exhibita necnon et recognita fuerant in præviâ Episcoporum congregatione procuratoria instrumenta, sivè reliquorum membrorum Concilii. Porrò admissi sunt à Reverendissimis Patribus.

I. DEPUTATI CAPITULORUM PROVINCIÆ.

Ex parte Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ :

D. Gasto de Laborie, Canonicus;

Ex parte Capituli Ecclesiæ Petrocorensis :

D. Adolphus du Pavillon, Canonicus, Decanus Capituli;

Ex parte Capituli Ecclesiæ Aginnensis :

D. Petrus Deyche, Canonicus, Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis;

Ex parte Capituli Ecclesiæ Pictaviensis:

D. Carolus-Josephus Chaubier de Larnay, Canonicus, Theologus;

Ex parte Capituli Ecclesiæ Engolismensis :

N*** ;

Ex parte Capituli Ecclesiæ Lucionensis :

D. Carolus Soyer, Canonicus, Decanus Capituli;

Ex parte Capituli Ecclesiæ Rupellensis :

D. Eutropius-Leo Thibault, Canonicus, Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis;

D. Petrus Friou, Canonicus[1].

---

[1] Deerant Capitulorum Colonialium deputati quia hæc Capitula, licet à Summo Pontifice in Bullâ erectionis Episcopatuum decreta, nondùm tamen de facto instituta fuerunt.

IIº THEOLOGI ET CANONISTÆ A SINGULIS EPISCOPIS DESIGNATI.

È Diœcesi Burdigalensi :

D. D. Joannes-Baptista-Carolus GAZAILHAN, Vicarius Generalis;
Germanus SABATHIER, Canonicus honorarius;
Joannes MARTIAL, Canonicus honorarius, Superior Collegii Vasatensis;
Petrus GERVAIS, Secretarius Em. ac Rev. Cardinalis Metropolitani;
R. P. MONJARDET, Ordinis FF. Prædicatorum;
R. P. TURRENNIUS, Superior domûs Passionistarum in diœcesi Burdigalensi;
R. P. BELLON, Superior Oblatorum Mariæ Immaculatæ in diœcesi Burdigalensi.

È Diœcesi Petrocorensi :

D. D. Maximus DE SAINT-EXUPERY, Vicarius Generalis;
Firminus PEYROT, Canonicus honorarius, Superior Seminarii minoris Bergeracensis;
Petrus DION, Director in Seminario majori Petrocorensi;
R. P. AMBROSIUS, Provincialis Fratrum Minorum Capuccinorum, conventûs civitatis Petrocorensis Custos, ac Sacræ Theologiæ Lector.

È Diœcesi Aginnensi :

D. D. Ludovicus BORDES, Vicarius Generalis;
Joannes-Petrus-Eduardus MANEC, Vicarius Generalis;
R. P. Jacobus-Maria FORTOUL, Marista, Superior Seminarii majoris, Doctor theologus;
R. P. Franciscus MERCIER, Marista, Theologiæ moralis in Seminario majori professor;

R. P. Maria-Henricus-Anastasius GAUD, Marista, Theologiæ dogmaticæ professor;

R. P. FRANCISCUS, Provincialis Carmelitarum Discalceatorum.

È Diœcesi Imæ-Telluris :

D. Joannes-Baptista LEQUETTE, Vicarius Generalis Atrebatensis et Imæ-Telluris;

R. P. GAULTIER, è Congregatione S. Spiritûs et S. Cordis Beatæ Virginis Mariæ;

Antonius-Golvinus PLUCHON, Secretarius Ill. ac Rev. D. D. Episcopi Imæ-Telluris.

È Diœcesi Pictaviensi :

D. D. Amedæus DE BECHILLON, Vicarius Generalis;

Carolus-Ludovicus GAY, Vicarius Generalis;

Georgius CREUZÉ, Doctor theologus, in Seminario majori Pictaviensi Director;

R. Domnus Onesimus MENAULT, ordinis S. Benedicti, Monasterii S. Martini Locogiacensis.

È Diœcesi Engolismensi :

D. D. Ludovicus-Alexander COUSSEAU, Vicarius Generalis;

Fredericus SAIVET, Canonicus honorarius, Doctor theologus.

È Diœcesi Lucionensi :

D. D. Leo VILLETTE, Canonicus, Vicarius Generalis;

Gabriel GOURAUD, Vicarius Generalis, Superior Seminarii majoris;

Alexander BOURBON, Canonicus honorarius, Director in Seminario majori.

È Diœcesi Rupellensi :

D. D. Petrus FRIOU, Canonicus ;

Guillelmus DELTHEIL, Canonicus honorarius, Superior Seminarii majoris ;

Antonius-Augustinus RAINGUET, Vicarius Generalis, Superior Seminarii minoris de Monte-Leonis.

È Diœcesi Sancti Dionysii :

D. HERVÉ, Vicarius Generalis Sancti Dionysii.

È Diœcesi Sancti Petri et Arcis Gallicæ :

R. P. EMONET, è Congregatione Sancti Spiritûs et Immaculati Cordis Beatissimæ Mariæ Virginis, Superior Seminarii majoris in insulâ Martinicâ.

Tùm lectum est quod de Officiariis Concilii à Patribus in congregatione particulari statutum fuerat.

Designati sunt :

Pro officio Promotoris :

D. Joannes-Baptista-Carolus GAZAILHAN, Vicarius Generalis Burdigalensis.

Pro officio Vice-Promotoris :

D. Carolus SOYER, Canonicus Lucionensis ac Capituli Decanus.

Pro officio Secretariorum :

D. D. Maximus DE SAINT-EXUPÉRY, Vicarius Generalis Petrocorensis ;

Joannes MARTIAL, Canonicus honorarius Burdigalensis, ac Seminarii minoris Vasatensis Superior.

Pro officio Notariorum :

R. P. Maria-Henricus-Anastasius GAUD, Marista, Director in Seminario majori Agennensi ;

D. Petrus GERVAIS, Secretarius EE. ac RR. DD. Cardinalis Metropolitani.

Pro officio Magistri Cæremoniarum :

D.D. Maximus DE SAINT-EXUPÉRY, Vicarius Generalis Petrocorensis ;

Petrus FRIOU, Canonicus Rupellensis ;

Antonius-Golvinus PLUCHON, Secretarius Ill. ac Rev. DD. Episc. Imæ-Telluris.

His peractis, monuit Eminentissimus Cardinalis Præses eadem in hoc Concilio ac in præcedentibus, Burdigalensi, Rupellensi et Petrocorensi, esse servanda circà ordinem sedendi ac procedendi, necnon et circà habitum quem gestare quisque debebat tùm in congregationibus privatis aut generalibus, tùm in sessionibus publicis.

Demùm statuere Patres primam sessionem habendam esse in Ecclesiâ Cathedrali, die sequenti, octavâ septembris, horâ septimâ matutinâ.

Absolutaque est prima hæc congregatio generalis per orationem *Sub tuum præsidium.*

SESSIO PRIMA.

Anno salutis reparatæ millesimo octingentesimo quinquagesimo nono, die octavâ septembris, in festo Nativitatis Immaculatæ Deiparæ Virginis, horâ septimâ matutinâ, celebrata est prima Concilii sessio.

È sacello Seminarii majoris ad Ecclesiam Cathedralem Sanctorum Stephani et Caprasii solemniter processerunt pontificalibus induti omnes Concilii Patres, necnon et cum ipsis Capitulum Ecclesiæ Aginnensis et Concilii adjutores presbyteri.

Dùm incessus, omni quâ decet pompâ, per plateas variis modis mirabiliter ornatas, piissimâ præsertìm frequentiâ populi fieret, Sanctorum Litanias Clerus decantabat.

Majoris honoris Synodo ab omnibus conciliandi causâ, sicut pridiè, festinantes ad Ecclesiam convenerant civitatis magistratus præcipui.

Omnibus templum ingressis, pro affluentiâ sivè Cleri sivè fidelium nimis angustum, antè altare in semicirculum dispositis Reverendissimis Episcopis, et post ipsos sedentibus deputatis Capitulorum Provinciæ, Theologis et Canonistis, Eminentissimus ac Reverendissimus Metropolitanus Horam Tertiam de solio inchoavit. Quâ absolutâ solemnem Missam de Spiritu Sancto celebravit, intrà quam, de manu ejus, omnes quotquot aderant, tùm Episcopi, tùm Concilii adjutores presbyteri sacram Eucharistiam susceperunt.

Missâ finitâ, omnibusque ritè peractis, et precibus de more recitatis, disertum de præhabitis antiquitùs in nostrâ Provinciâ Synodis, necnon et de utilitate sivè etiam necessitate Conciliorum in genere, hodiernæ presertìm respectu societatis, sermonem ad populum habuit Eminentissimus ac Reverendissimus Burdigalensis Archipræsul.

Posteà Promotoris ad instantiam, jussit Eminentissimus Præses ab uno è Concilii Secretariis recitari decreta *de aperiendâ Synodo*, *de modo vivendi in Concilio*, *et de emittendâ professione fidei.* Quam fidem catholicam, juxtà formulam à Pio IV præscriptam, suprà sancta Dei Evangelia professi sunt omnes qui præcedentibus Conciliis non interfuerant.

His ad Pontificalis Romani normam peractis, instante Promotore, ac de beneplacito Patrum, promulgatum fuit decretum de continuandâ hâcce sessione, die undecimâ septembris, Dominicâ scilicet infrà octavam Nativitatis Beatæ Virginis, in Ecclesiâ Beatæ Virginis de *Bono Occursu*, propè Agennum; salvâ tamen facultate dictam sessionem prorogandi, aut in aliam diem transferendi, si Concilio expedire videretur.

Demùm benedictione archiepiscopali acceptâ, inchoatoque hymno *Te Deum*, per aliam viam quasi triumphalem, cum eodem comitatu militari, eodemque populi concursu, ad Seminarium omnes regressi sunt.

CONGREGATIO GENERALIS IIa.

Eâdem die octavâ septembris, horâ pomeridianâ quartâ, habita est in aulâ Majoris Seminarii congregatio generalis secunda, cui interfuere rocheto et mozettâ induti Reverendissimi Concilii Patres, Procuratoresque Episcoporum absentium; cæteri autem in habitu sibi proprio.

Recitatâ ab Eminentissimo Præside oratione *Adsumus*, indicta fuit primùm regula exercitiorum à Patribus statuta, servato sibi jure quædam opportunè pro circumstantiis immutandi.

Horâ quintâ : signum ad surgendum.

Horâ sesquiquintâ : oratio vocalis et mentalis per dimidiam horam in aulâ congregationum generalium.

Horâ sextâ : omnes Concilii Patres et Theologi missam privatim celebrant in variis Seminarii sacellis, aut in Ecclesiis et monasteriis civitatis.

Horâ octavâ : jentaculum.[1]

Horâ sesquioctavâ : congregatio Episcoporum.

Horâ decimâ : congregationes particulares saltem per unam horam.

Horâ meridianâ : prandium, quo durante fiunt lectiones è Scripturâ sacrâ et libris piis. Indè procedunt omnes ad sacellum, psalmum *Miserere* recitantes. Post orationem *Angelus,* fit adoratio Sanctissimi Sacramenti. Deindè relaxatio usquè ad horam secundam.

Horâ sesquisecundâ : congregatio Episcoporum.

Horâ quartâ : congregationes particulares per horam.

Horâ sesquiquintâ : congregatio generalis.

Horâ septimâ : cœna et reliqua prout habentur post prandium.

Horâ sesquioctavâ : oratio vespertina in aulâ congregationum. Deindè designatæ et ordinatæ sunt variæ Congregationes eo quo sequitur modo :

Congregatio Episcoporum.

Præses : Emin. ac Rev. DD. Cardinalis DONNET, Metropolitanus.

Secretarius : D. Bordes, Vicarius Generalis Aginnensis.

---

[1] Quâlibet feriâ VIa jejunium observatum est

Congregatio de fide.

Præses : Ill. ac Rev. DD. Ludovicus-Franciscus-Desideratus-Eduardus PIE, Episcopus Pictaviensis.

Vices-gerens Præsidis : D. Carolus Soyer, Canonicus Lucionensis, Decanus Capituli.

Secretarius : D. Carolus-Ludovicus Gay, Vicarius Generalis Pictaviensis.

Theologi : D. Deltheil, majoris Seminarii Rupellensis Moderator ;

R. P. Monjardet, Ordinis Fratrum Prædicatorum ;

D. Lequette, Vicarius Generalis Atrebatensis et Imæ-Telluris ;

R. P. Gaud, in Seminario Aginnensi Theologiæ dogmaticæ professor ;

D. Gervais, Secretarius EE. ac RR. Metropolitani ;

D. Creuzé, Doctor theologus et in Seminario Pictaviensi Director.

Congregatio de disciplinâ et regimine ecclesiastico.

Præses : Ill. ac Rev. DD. Joannes-Baptista-Amedæus George, Episcopus Petrocorensis ac Sarlatensis.

Vices-gerens Præsidis : R. P. Franciscus, Provincialis Carmelitarum discalceatorum.

Secretarius : D. Dion, Director in Seminario Petrocorensi.

Theologi : D.D. de Saint-Exupéry, Vicarius Generalis Petrocorensis ;

Friou, Canonicus Rupellensis ;

Bourbon, Canonicus honorarius Lucionensis ;

Pluchon, Secretarius Ill. ac Rev. DD. Episc. Imæ-Telluris.

Congregatio de hierarchiâ et de moribus Cleri.

Præses : Ill. ac Rev. DD. JOANNES-AMATUS DE LEVEZOU DE VESINS, Episcopus Agennensis;

Vices-gerens Præsidis : D. GAZAILHAN, Vicarius Generalis Burdigalensis.

Secretarius : R. P. AMBROSIUS, Custos conventûs Cappuccinorum in civitate Petrocorénsi;

Theologi : D. D. DE LARNAY, Canonicus Pictaviensis;
THIBAULT, Canonicus Archipresbyter Ecclesiæ Rupellensis;
DU PAVILLON, Canonicus Petrocorensis, Decanus Capituli;
COUSSEAU, Vicarius Generalis Engolismensis;
R. P. MERCIER, in Seminario Aginnensi Director.

Congregatio de quibusdam malis hujusce temporis.

Præses : Ill. ac Rev. DD. FRANCISCUS-AUGUSTINUS DELAMARE, Episcopus Lucionensis.

Vices-gerens Præsidis : D. MANEC, Vicarius Generalis Aginnensis.

Secretarius : D. VILLETTE, Canonicus, Vicarius Generalis Lucionensis.

Theologi : D. D. DE LABORIE, Canonicus Burdigalensis ;
BELLON, Superior Oblatorum Immaculatæ Mariæ;
DEYCHE, Canonicus, Archipresbyter Ecclesiæ Aginnensis ;
HERVÉ, Vicarius Generalis Sancti Dionysii.

Congregatio de studiis ecclesiasticis ac de Seminariis.

Præses : Ill. ac Rev. DD. Joannes-Baptista-Franciscus-Anna-Thomas LANDRIOT, Episcopus Rupellensis ac Santonensis.

Vices-gerens Præsidis : D. Sabathier, Canonicus honorarius Burdigalensis.

Secretarius : D. Rainguet, Vicarius Generalis Rupellensis, Superior Seminarii minoris.

Theologi : D.D. Martial, Canonicus honorarius Burdigalensis, Superior Collegii Vasatensis;

Peyrot, Canonicus honorarius Petrocorensis, Superior Seminarii minoris Bergeracensis ;

R. P. Fortoul, Doctor theologus, Moderator Seminarii majoris Aginnensis;

D. Gouraud, Vicarius Generalis Lucionensis, Seminarii majoris Moderator ;

R. P. Emonet, Superior Seminarii Sancti Petri et Arcis-Gallicæ.

Congregatio de bono Religionis promovendo in coloniis.

Præses : Ill. ac Rev. DD. Theodorus-Augustinus FORCADE, Episcopus Imæ-Telluris, in insulâ Guadalupâ.

Vices-gerentes Præsidis : R. P. Schwindenhammer, Superior Generalis Congregationis Sancti Spiritûs; D. Guesdon, Vicarius Generalis Sancti Petri et Arcis-Gallicæ.

Secretarius : R. P Dom. Menault, Ordinis Sancti Benedicti de abbatiâ Locogiacensi.

Theologi : R. P. Gauthier, è Congregatione Sancti-Spiritûs, etc.;

R. P. Pitron, è Congregatione Sancti-Spiritûs, etc.;

D. Pluchon, Secretarius RR. DD. Episcopi Imæ-Telluris.

Congregatio de decretis.

Præses : Ill. ac Rev. DD. ANTONIUS-CAROLUS COUSSEAU, Episcopus Engolismensis.

Vices-gerens Præsidis : D. DE BÉCHILLON, Vicarius Generalis Pictaviensis.

Secretarius : D. LEQUETTE, Vicarius Generalis Atrebatensis et Imæ-Telluris.

Theologi : R. P. TURRENIUS, Superior Passionistarum,

D. D. SAIVET, Doctor theologus, Canonicus honorarius Engolismensis;

GOURAUD, Vicarius Generalis Lucionensis;

GERVAIS, Secretarius Eminentissimi Metropolitani;

R. P. Domnus MENAULT, Ordinis Sancti Benedicti.

Pariter specialis instituta est Congregatio ad examen libri cæremonialis in provinciâ adoptandi, jussuque Patrum Petrocorensium ab uno è Concilii Theologis concinnati. Huic autem Congregationi adscripti sunt RR. DD. Petrocoræ et Imæ-Telluris Episcopi, D. Friou, Canonicus Rupellensis, et D. Dion, Director in Seminario majori Petrocorensi.

Posteà paterno planè eloquio omnes hortatus est Eminentissimus ac Reverendissimus Concilii Præses, ut cum omni mansuetudine et caritate, in congregationibus tùm generalibus, tùm particularibus, sese gererent, ità ut jurgio et altercationi omnis aditus præcluderetur.

Deindè, ad Promotoris instantiam, voluit Eminentissimus Metropolitanus omnes « ad hanc Synodum legitimè vocatos promis-
« sione solemni sese obligare ad servandum foris silentium de
« omnibus quæ in dicto Concilio examini subjicerentur et decer-
« nerentur, quoadusquè publicè lecta fuerint in Concilii sessio-
« nibus; et præsertim ad ea reticenda quæ possent detrahere vel
« reverentiæ Concilio debitæ, vel honori cujusvis personæ. »

Cujus obligationis ab Eminentissimo Metropolitano explicatâ necessitate et congruentiâ, omnes dictâ promissione sese adstrinxerunt.

Absoluta denique fuit hæc congregatio generalis secunda per orationem *Sub tuum præsidium.*

CONGREGATIO GENERALIS IIIa.

Die nonâ septembris, horâ pomeridianâ sextâ, in aulâ Seminarii habita est congregatio generalis tertia, cui interfuere omnes Concilii Patres, Deputati ac Theologi.

In hâc congregatione ab uno è Notariis exhibita et à Patribus approbata sunt authentica instrumenta eorum quæ ab adventu Patrum, videlicet in vigiliâ Synodi inchoatæ, in congregatione generali primâ, in sessione primâ, et in congregatione generali secundâ gesta fuerant.

Deindè à Secretario Congregationis *de disciplinâ et regimine ecclesiastico* lectum est caput unum cui titulus erat : *De utilitate Conciliorum provincialium*, in quo plurima maximi momenti et in praxi difficillima novo examine digna à Patribus æstimata sunt.

Post hæc per orationem solitam congregatio absoluta est.

CONGREGATIO GENERALIS IVa.

Die decimâ septembris, horâ pomeridianâ sesquisecundâ, in aulâ Seminarii majoris congregatio quarta generalis habita est.

Absolutâ de more oratione *Adsumus*, et lecto ab uno è Notariis, à Patribusque approbato eorum quæ in præcedenti congregatione gesta fuerant instrumento, in aulam congregationum introductus est Reverendus Dominus Joannes-Baptista Delrieu,

Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Aginnensis, necnon et studiis in minori Seminario Præfectus, quem ad Concilium omnibus declaravit Eminentissimus Præses, ex parte RR. DD. Aginnensis Episcopi vocatum, Congregationique de studiis ecclesiasticis adscriptum. Qui requirente uno è Promotoribus eâ se, de secreto observando, promissione obstrinxit quam emiserant omnes initio congregationis generalis secundæ.

Priusquam verò Secretariis congregationum dicendi faceret copiam, omnes certiorarì voluit Eminentissimus Præses de plenâ Concilii membris concessâ facultate circà ea quæ examini subjicienda venirent, in omni animi libertate et simplicitate cordis sententiam suam palàm faciendi.

Tùm ab uno è particularium congregationum Secretariis unicum lectum est caput decretorum, primum scilicet in titulo primo : *De obedientiâ et amore ergà Sanctam Sedem et Romanum Pontificem.*

Quod decretum dum recitaretur ità intimis omnium affectibus consonare visum est, ut vix sese cohibuerit quin in acclamationes ergà communem fidelium Patrem erumperet cœtus. Quod in monumentum filialis observantiæ et devotionis omnium Concilii membrorum ergà Summum Pontificem, in instrumentis Conciliaribus consignandum voluere Patres.

CONGREGATIO GENERALIS V^{a}.

Eâdem die, horâ vespertinâ sextâ, congregatio generalis quinta habita est. In eâ inter Patres non sedit RR. DD. Episcopus Pictaviensis legitimè impeditus, neque inter adjutores presbyteros R. P. Monjardet, Ordinis Prædicatorum, cui per unum aut duos dies obeundi fuerat concessa facultas.

Lecto ab uno è Notariis et à Patribus approbato eorum quæ acta fuerant in congregatione præcedenti authentico instrumento, Congregationis decretorum Secretarius decretum : *De piis pere-*

grinationibus recitavit. Quo quidem peracto, nonnullisque expositis animadversionibus, indicta est sessionis primæ continuatio sequenti die habenda in Ecclesiâ Beatæ Mariæ Virginis de *Bono Occursu* propè Aginnum. Et per orationem solitam congregatio absoluta est.

SESSIONIS PRIMÆ CONTINUATIO.

Die undecimâ septembris, Dominicâ decimâ tertiâ post Pentecosten, in festo Sanctissimi Nominis Mariæ, horâ matutinâ sextâ, ex ædibus Seminarii majoris, primæ sessionis continuandæ causâ, ad Ecclesiam Beatæ Virginis de *Bono Occursu*, sicuti indictum fuerat, omnes curribus vecti processere Patres.

Primùm hâc ipsâmet die ab Eminentissimo Metropolitano solemni inaugurandum erat consecratione Dei Genitricis sanctuarium hisce regionibus percelebre, recenterque elegantiori ædificio constructum, quod pro suâ pietate ac munificentiâ, necnon et hujusce diœceseos Cleri ac fidelium liberalitate, in memoriam definitionis de Immaculato Deiparæ Conceptu erigendum, solemniterque à Metropolitano, præsentibus provincialibus Episcopis, tunc temporis conciliariter Agenni coadunandis peroptaverat RR. DD. Agennensis Antistes.

Consecrationis igitur ritus ad fores Ecclesiæ solemniter inchoavit Eminentissimus Burdigalensis Archipræsul, cooperantibus RR. DD. Episcopis Petrocorensi ac Rupellensi.

Omnibus ad Pontificalis Romani normam peractis, Conciliique Patribus necnon et Theologis pro more sedentibus, Missam solemnem de Consecratione Ecclesiæ Eminentissimus Cardinalis decantavit.

Post Evangelium, in suggestum ascendens RR. DD. Pictaviensis Episcopus aptissimâ concione de bono hujusce solemnitatis occursu inter arduos Synodi labores, clerum omnem et populum lætificavit.

Peractâ Missâ sacrisque Evangeliis juxtà crucem archiepiscopalem super pulpitum repositis, Eminentissimus Præses pluviali indutus, cæteris verò Concilii Patribus ac membris in habitu chorali sedentibus, orationem *Adsumus* recitavit. Tunc, ad Promotoris instantiam, è suggestu unus è Secretariis tria decreta clarâ voce recitavit, videlicet :

1° *De obedientiâ et amore ergà Sanctam Sedem et Romanum Pontificem ;*

2° *De utilitate Conciliorum;*

3° *De piis peregrinationibus.*

Quæ cùm Emin. Metropolitanus, Ill ac Rev. Episcopi, admodùmque Rev. Episcoporum absentium Procuratores sibi placere per vices declarâssent, instituerunt Promotores ut, propter abundantiam decretorum quæ conficienda supererant, præsens primæ sessionis continuatio feriâ V^a in sacello Seminarii majoris reassumeretur. Et ità à Patribus statutum est.

Et huic primæ sessionis continuationi per orationem *Sub tuum* fine imposito, medios inter pressi populi fluctus, iteratis Patrum benedictionibus caput inclinantis, numerosissimoque præcedente Clero, recessere Reverendissimi Præsules.

CONGREGATIO GENERALIS VI^a.

Die duodecimâ septembris, horâ pomeridianâ sextâ, loco assueto congregatio generalis habita est. Sederunt omnes Concilii Patres, et inter adjutores presbyteros admissus est R P. Damasus Pujol, è Societate Jesu, Superior Seminarii majoris Aturensis, ex parte RR. DD. Episcopi Engolismensis vocatus, Congregationique de studiis adscriptus, qui ad instantiam Promotoris, de non revelando secreto promissionem emisit.

Deindè à Secretariis Congregationum lecta sunt plurima de-

creta : 1° *De binâ celebratione Missæ ;* 2° *de applicatione Missæ pro populo ;* 3° *de officiis Episcoporum ;* 4° *de desertione agrorum et de immigratione in urbes.*

His habitis, pluribusque agitatis difficultatibus, de more congregatio absoluta est.

CONGREGATIO GENERALIS VIIa.

Die mensis septembris decimâ tertiâ, horâ pomeridianâ sextâ, habita est congregatio generalis septima. In eâ non sedit legitimâ impeditus de causâ D. Guesdon, Vicarius Generalis ac Procurator RR. DD. Episcopi Sancti Petri et Arcis-Gallicæ in insulâ Martinicâ.

Quibusdam propositis de decreto jàm examini subjecto, videlicet *de desertione agrorum* etc., animadversionibus, quatuor à Secretariis recitata sunt decreta : 1° *De Sacratissimo Corde D. N. J.-C. ;* — 2° *de superstitionibus ac de artibus illicitis ;* — 3° *de scholis secundariis sacerdotibus commissis ;* — 4° *de amplificandis et multiplicandis coloniarum Ecclesiis.* Et finem habuit congregatio per orationem *Sub tuum præsidium.*

Eàdem die, horâ vespertinâ octavâ, laïci Sodales Sancti Vincentii à Paulo, expostulatâ hâcce ab Emin. Metropolitano gratiâ, coràm Patribus et cæteris Concilii membris in aulam congregationum convenerunt. De variis Sodalitatis operibus relationem legit Præsidis Vices-gerens : cui paternis planè verbis respondens Emin. Burdigalensis Archipræsul, confratribus fide jàm adimpletis, pro eorum piis operibus gratulatus est, eos adhortans in sublevandis pauperibus de animâ semper quàm de corpore sollicitiores esse. Huic collationi finem imposuit benedictio quam omnes insimul impertiti sunt Patres.

Itidem silentio non prætermittemus in hujusce Concilii authenticis instrumentis pias plurimorum è Patribus peregrinationes tùm ad antrum Sancti Caprasii, Martyris et Episcopi Aginnensis,

et ad ejus reliquias in Ecclesiâ Cathedrali asservatas, tùm ad reliquias Sanctæ Fidis, Virginis Aginnensis et Martyris, ad Ecclesiam ipsomet in loco ubì martyrium passa est extructam.

Sanctimonialium monasteria pariter successivè visitaverunt Patres, qui in Xenodochio etiam ægrotos piis verbis et eleemosynis consolati sunt.

CONGREGATIO GENERALIS VIII[a].

Die decimâ quartâ septembris, horâ pomeridianâ sextâ, habita est congregatio generalis octava. Ab uno è Notariis lectum est et à Patribus approbatum fuit eorum quæ in actis congregationis præcedentis consignantur authenticum instrumentum.

Deindè à Secretario Congregationis *de fide* lectum est decretum *de recentioribus erroribus circà naturam divinam.* Quod quidem propter graves quæstiones in eo arduâ cum metaphysicâ agitatas maturo diuturnoque examine ab omnibus perpensum fuerat. In eo autem discutiendo per totum hujusce congregationis tempus curam impenderunt Theologi, notatuque dignissimæ prodierunt animadversiones et explicationes.

Sub finem verò, ob plurima jàm parata et examini subjicienda decreta, Patribus visum est duas sequenti die habendas fore congregationes generales, quarum proxima ad horam dictæ diei sesquidecimam, antè meridiem, indicta est.

Propter eamdem rationem statuerant, in congregatione sibi propriâ, Reverendissimi Patres duas adhùc sessionis primæ habendas fore continuationes quas ad feriam quintam et sextam adscripsit Eminentissimus Præses.

Et finem habuit congregatio per orationem *Sub tuum præsidium.*

CONGREGATIO GENERALIS IXa.

Die decimâ quintâ septembris, horâ matutinâ sesquidecimâ, congregatio generalis nona habita est. Inter Patres non sedit RR. DD. Episcopus Imæ-Telluris, legitimè impeditus.

In eâ congregatione proposita sunt quinque decreta, nimirùm :

1° *De miraculis ;* 2° *de ædificatione et instauratione Ecclesiarum;* 3° *de Canonicis;* 4° *de Archipresbyteris et Decanis;* 5° *de scholis mixtis.*

Quibus maturè perpensis, antequàm recitaretur oratio, indicta fuit ad horam vespertinam sextam hujusce diei congregatio generalis decima.

CONGREGATIO GENERALIS Xa.

Eâdem die, horâ in præcedenti congregatione indictâ ab Eminentissimo Præside, congregatio generalis decima habita est. Interfuere omnes Reverendissimi Patres; solus autem inter adjutores presbyteros abfuit Dominus Gazailhan, Vicarius Generalis Burdigalensis et hujusce Concilii Promotor, cui, gravi de causâ, per unum aut alterum diem abeundi concessa fuerat facultas.

A Secretariis Congregationum quinque proposita sunt decreta:

1° *De profectu fidei apud exteras gentes;* 2° *de parochis et eorum vicariis;* 3° *de confessariis tam secularibus quàm regularibus ;* 4° *de Majoribus Seminariis;* 5° *de cantu ecclesiastico.*

Maturè ac seriò inter Theologos variæ illæ quæstiones agitatæ sunt; et de more absoluta est congregatio generalis.

Eâdem die plurimi è variis diœcesibus Provinciæ tùm Diaconi tùm Subdiaconi coram Reverendissimis Patribus pro gradu baccalaureatûs in Theologiâ obtinendo examen subierunt.

CONGREGATIO GENERALIS XI^a.

Die decimâ sextâ septembris, horâ matutinâ sesquidecimâ, habita est congregatio generalis undecima. Ab uno è Notariis lecto et approbato eorum quæ in præcedenti congregatione acta fuere authentico instrumento, sequentia à Secretariis Congregationum particularium proposita sunt decreta :

1° *De cœmeteriis ;* 2° *de Minoribus Seminariis ;* 3° *de moribus et conversatione Cleri ;* 4° *de examine sexennali juniorum clericorum.*

Quibus, pro temporis indulgentiâ, sedulò examinatis, quoniam discutiendum adhùc unum supererat decretum, omnes monuit Eminentissimus Præses horâ vespertinâ sesquiquintâ aliam fore habendam congregationem generalem cui omnes in habitu chorali assistere deberent ob sessionis primæ secundam continuationem immediatè secuturam. Per orationem solitam congregatio hæc absoluta est.

Hâc ipsâ die congregationes pridiè à Patribus institutæ, pro temporis copiâ, examinibus sacerdotum qui pro gradu licentiæ in Theologiâ obtinendo ex diversis Provinciæ diœcesibus convenerant, operam dederunt.

CONGREGATIO GENERALIS XII^a.

Eâdem die, horâ vespertinâ sesquiquintâ, in loco assueto habita est duodecima et ultima congregatio generalis, cui in habitu chorali, sicut jussi fuerant, interfuere omnes Concilii Patres necnon et Deputati ac Theologi.

Probatâ relatione eorum quæ in præcedenti congregatione acta sunt, à Secretario Congregationis studiorum lectum est unicum decretum, videlicet *de theologicis seu ecclesiasticis studiis augendis.*

Nonnullis verò circà materiam in decreto agitatam auditis animadversionibus adstantes admonuit Eminentissimus Præses hanc congregationem generalem esse ultimam, ideòque statuit folia quibus, durante Concilio, adjutores presbyteri usi fuerant apud unum ex Theologis quem designavit esse deponenda, neminique licitum esse quidquam ex his sibi retinere aut secum auferre.

Priusquàm verò congregationibus generalibus finem imponeret Eminentissimus Burdigalensis Archiepiscopus, omnes laudavit de animi moderatione ac patientiâ in enucleandis quæstionibus, necnon et de urbanitate ac reverentiâ in iis agitandis servatâ. Quo facto, nullâque interpositâ morâ, ad sacellum Seminarii processionaliter omnes progressi sunt.

SESSIONIS PRIMÆ CONTINUATIO SECUNDA.

Die decimâ sextâ septembris, horâ vespertinâ sextâ, ex aulâ congregationum generalium in quâ omnes ultimò coadunati erant, Eminentissimus Metropolitanus ac Reverendissimi Episcopi cum mozettâ et bireto, præcedentibus presbyteris adjutoribus in habitu chorali, ad sacellum Seminarii processerunt secundam primæ sessionis continuationem habituri.

In sanctuario sederunt Patres cum Procuratoribus Episcoporum absentium in hemicyclum dispositi; in inferiori autem parte sedebant Theologi et Canonistæ, aderant etiam plurimi civitatis presbyteri, necnon et plurimi ex totâ Provinciâ graduum theologicorum candidati.

Juxtà crucem archiepiscopalem super pulpitum Evangelia reposita fuerant; et ab Eminentissimo Cardinali recitatâ oratione *Adsumus*, ad instantiam Vice-Promotoris (eâdem quippè semper gravi detentus de causâ aberat D. Gazailhan, Vicarius Generalis Burdigalensis, Concilii Promotor), de mandato Eminentissimi Præsidis, è suggestu unus è Concilii Secretariis legit decreta quorum tituli sequuntur :

1° *De recentioribus circà divinam naturam erroribus;*

2° *De binâ celebratione Missæ;*

3° *De applicatione Missæ pro populo;*

4° *De ædificatione et instauratione Ecclesiarum;*

5° *De cantu ecclesiastico;*

6° *De Sacratissimo Corde D. N. J.-C.:*

7° *De blasphemiâ;*

8° *De superstitionibus et artibus illicitis;*

9° *De scholis mixtis;*

10° *De Canonicis;*

11° *De Archipresbyteris et Decanis.*

Quæ cùm Eminentissimus Præses, Illustrissimi Episcopi, admodùmque Reverendi Episcoporum absentium Procuratores sibi placere per vices declaravissent, propter abundantiam decretorum quæ legenda supererant institit Concilii Vice-Promotor ut primæ sessionis tertia continuatio die sequenti, in sacello Seminarii, horâ vespertinâ sextâ haberetur. Et ità à Patribus statutum est. Et huic sessionis primæ continuationi finem imposuit Eminentissimus Metropolitanus per orationem *Sub tuum præsidium.*

SESSIONIS PRIMÆ CONTINUATIO TERTIA.

Die decimâ septimâ septembris, horâ vespertinâ sextâ, eodem omninò ritu ac in die præcedenti, sessionis primæ habita est continuatio tertia. Hæc autem sunt quæ in eâ fuere promulgata decreta :

1° *De moribus et conversatione Cleri;*

2° *De examine sexennali juniorum sacerdotum;*

3° *De Canonicis;*

4° *De studiis ecclesiasticis;*

5° *De secundariis scholis ecclesiasticis;*

6° *De Majoribus Seminariis;*

7° *De Minoribus Seminariis;*

8° *De amplificandis et multiplicandis coloniarum Ecclesiis;*

9° *De confessariis tam secularibus quam regularibus;*

10° *De cœmeteriis.*

Quibus perlectis et à Patribus approbatis, Vice-Promotoris ad instantiam, de beneplacito Patrum, ab Eminentissimo Præside indicta est Concilii sessio secunda et ultima, die proximâ decimâ octavâ septembris, in Ecclesiâ Cathedrali celebranda. Tunc de more continuationem sessionis primæ absolvit Metropolitanus per orationem *Sub tuum.*

Eâdem die examinibus candidatorum pro gradu tùm licentiæ, tùm doctoratûs in Theologiâ obtinendo, totum tempus impenderunt plerique Patres ac designati Theologi. Ad vesperam, sub præsidentiâ RR. DD. Pictaviensis Episcopi congregati sunt examinatores ut de uniuscujusque candidati successu definitivè statuerent.

Laureatorum verò proclamatio ac graduum collatio in diem sequentem, post habitam Concilii ultimam sessionem, translata, in aulâ congregationum generalium, præsidentibus Eminentissimo Cardinali Metropolitano ac Reverendissimis Episcopis, quos circumdabat presbyterorum Concilii adjutorum corona, solemniter peracta est.

SESSIO SECUNDA ET ULTIMA.

Die decimâ octavâ septembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi noni, Dominicâ post Pentecosten decimâ quartâ, in Festo Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis, sicut indictum fuerat, in Ecclesiâ Cathedrali secunda ac ultima habita est Concilii Agennensis sessio.

Solemniter sicut et in primâ sessione ad Ecclesiam processere Patres habitu chorali tantùm induti, solo excepto Metropolitano cum mitrâ pretiosâ et baculo pastorali incedente. Hos antecedebat Capitulum Aginnense, Canonistarum ac Theologorum caterva, necnon et Clerus numerosissimus Sanctorum Litanias per plateas decantans.

Ad Ecclesiam jamjàm convenerant præcipui urbis regionisque magistratus, militum præfecti ac duces ingensque fidelium multitudo.

Amictu super rochettum, stolâ, pluvialique rubri coloris, et mitrâ auriphrygiatâ indutis Reverendissimis Patribus, Horam Sacri Officii Tertiam de solio solemniter inchoavit Eminentissimus Præses, Missam deindè in Pontificalibus decantavit, intrà quam quia ipsi priùs Missas privatas egerant, neque Episcopi, neque Presbyteri adjutores sacram Eucharistiam de manu Archipræsulis susceperunt.

Expletâ Missâ, Sacra Evangelia, juxtà crucem archiepiscopalem in pulpito de more posita sunt, quæ ad modum coronæ in sedilibus suis circumdedere Pontifices. Tùnc, sedulò servatis

omnibus quæ in Pontificali præscribuntur, sermonem è suggestu ad populum habuit Reverendissimus Episcopus Imæ-Telluris compendiosè exponens Concilii Aginnensis labores.

Post concionem, Promotoris ad instantiam et de mandato Eminentissimi Metropolitani, ab uno è Secretariis varia lecta sunt capita decretorum, scilicet :

1° *De miraculis ;*

2° *De Episcopis ;*

3° *De Parochis et eorum Vicariis;*

4° *De profectu fidei apud exteras gentes;*

5° *De immigratione ruricolarum in urbes.*

Quæ decreta cùm à Patribus probata fuissent, denuò instantibus Promotoribus promulgatum est decretum de Testibus synodalibus, qui eo quo sequitur ordine designati sunt.

Pro Diœcesi Burdigalensi :

D. Joannes-Paulus-Æmilius GIGNOUX, Vicarius Generalis.

Pro Diœcesi Petrocorensi :

D. Renatus BERNARET, Canonicus.

Pro Diœcesi Aginnensi :

D. Ludovicus BORDES, Vicarius Generalis.

Pro Diœcesi Imæ-Telluris :

D. Thomas-Nicolaus BELLAUNAY, Vicarius Generalis.

Pro Diœcesi Pictaviensi :

D. Carolus-Josephus CHAUBIER DE LARNAY, Canonicus, Theologalis.

Pro Diœcesi Engolismensi :

D. Rochus BRUNELIÈRE, Canonicus, Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis.

Pro Diœcesi Lucionensi :

Augustus-Benjamin Gouraud, Vicarius Generalis, Seminarii Superior.

Pro Diœcesi Rupellensi.

D. Eutropius-Leo Thibault, Canonicus, Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis.

Pro Diœcesi Sancti-Dionysii :

D. Ludovicus Margerie, Vicarius Generalis.

Pro Diœcesi Sancti-Petri et Arcis-Gallicæ :

D. Prudentius Guesdon, Vicarius Generalis.

Deindè ad instantiam promotorum, et de jussu Eminentissimi Præsidis vocati sunt nominatìm omnes qui Concilio interesse tenebantur qui reipsà omnes aderant vel Procuratores miserant.

Insuper lectum est decretum de subscriptione decretorum, quo approbato, ad altare subscripta sunt Concilii decreta in formâ assuetâ, ab omnibus sivè Episcopis, sivè Episcoporum absentium Procuratoribus. Tandem ad instantiam Promotoris, jussit Eminentissimus Præses legi decreta tùm de proximo Concilio provinciali, tempore et loco ulteriùs indicendis, habendo, tùm de fine huicce Aginnensi Concilio imponendo. Et ità actum est.

Posteà ad populum concionem habuit Eminentissimus Cardinalis de felici præsentis Concilii exitu, Patresque Concilii et omnes adstantes paternâ ferventique charitate alloquens, acclamationes mox decantandas explanavit. Dein hymnum *Te Deum* inchoavit, choro alternis vocibus prosequente, cujus in fine Clerum ac populum solemniter benedixit.

Tunc demùm à Domino Sabathier, Canonico honorario Burdigalensi, decantatæ sunt acclamationes, omnibus et Præsulibus, et sacerdotibus et fidelibus uno ore et animo respondentibus.

Decantatis acclamationibus, RR. DD. Episcopus Aginnensis

suavissimo sermone Eminentissimo Burdigalensi Archipræsuli. Reverendissimis comprovincialibus Episcopis, necnon et Procuratoribus, Deputatis ac Theologis, plebis suæ ædificationem ac splendorem suæ Aginnensi Diœcesi ex celebratione Concilii collatum, magistratibus verò, ducibus militum omnibusque fidelibus meritum pro honore quò civitatis Aginnensis venerandos hospites prosecuti erant, ac zelum in sessionibus publicis frequentandis, gratulatus est.

Osculo sancto tunc sese salutaverunt Patres; et à Concilii Promotore promulgatâ indulgentiâ centum dierum iis qui sessioni interfuerant concessâ ab Eminentissimo Præside, omnes ad aulam Seminarii majoris solemniter regressi sunt, hymnum *Magnificat* Clero decantante, Patribus viâ quasi triumphali incedentibus, innumerabilique populi multitudini undequaque affluenti benedicentibus.

In sacello Seminarii Eminentissimus Metropolitanus orationem *Sub tuum* recitavit, sicque sessioni et Concilio finem imposuit.

ACCLAMATIONES PATRUM

IN FINE

CONCILII AGINNENSIS.

Secretarius Concilii. — Gratias Deo Omnipotenti, bonorum omnium Auctori et Patri luminum.

Respondent omnes. — Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et pro impiorum blasphemiis, Nòmini sancto tuo omnes sancti tui benedicant.

S. — Beatissimæ Dei Genitrici Mariæ Immaculatæ novus honor, nova gloria.

R. — In omnibus viis hilaritate vultûs sui, et bono semper occursu filiis suis se pia Mater ostendat.

S. — Sanctissimo nostro Patri Pio Papæ Nono, Regi mansueto, Christi patientis Vicario, ab ingratis flagellato, et spinis coronato, pax et consolatio de Spiritu Sancto.

R. — Induat eum Dominus virtute ex alto, et de Sion tueatur eum; obvietque illi in omni tribulatione Beata Virgo Maria, quasi mater honorificata.

S. — Eminentissimo nostro Præsidi, S. R. E. Cardinali, Aquitaniæ nostræ Primati, sancti operis incipiendi auctori prudentissimo, ejusdemque perficiendi constantissimo, magnæ gratiæ, multi anni.

R. — Magnæ gratiæ, multi anni, et sanctorum operum felix consummatio.

S. — Reverendissimis Episcopis hujus Concilii Patribus, magnæ gratiæ cum multis annis.

R. — Magnæ gratiæ, multi anni, iter prosperum, tuta navigatio, et felix ad suas Ecclesias reditus, ut populi ab ore ipsorum verba salutis audiant, et totâ dilectione perficiant.

S. — Omnibus hujus Concilii Procuratoribus, Canonicis, Deputatis et Theologis, diversorum ordinum Religiosis, sancti laboris adjutoribus, boni operis præmium.

R. — Benefac, Domine, bonis et rectis corde, ut cum his qui verbum tuum benè administraverunt ab initio partem habeant.

S. — Gloriosissimo Francorum Imperatori Napoleoni, Conciliorum nostrorum libertatis assertori, nova laus, multæ gratiæ.

R. — Custodiat eum Dominus protectione assiduâ, et bonæ voluntatis suæ circumspectione tutissimâ.

S. — Civitati Aginnensi, Magistratibus et Civibus ejus, piis ministrorum Dei hospitibus, pax et omnimoda felicitas.

R. — Sanctorum olim trita vestigiis, Martyrum rigata sanguine, aperiatur terra et novam Sanctorum segetem semper fecunda germinet.

S. — Omnibus hujus provinciæ Burdigalensis fidelibus fidei, spei et charitatis augmentum, pax et gaudium de Spiritu Sancto.

R. — Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

S. — Nos tandem sancti operis adjutores, locis dissitos, maribus disjunctos, corde autem et spiritu semper unitos, fac, Domine, omnibus præire in viâ mandatorum tuorum et ad æternam simul pervenire cœlestis concilii festivitatem.

R. — Fiat, Fiat ! Amen, Amen !

I.

SS. D. N. PII PP. IX

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE 25 SEPTEMBRIS 1857.

Venerabiles Fratres,

Cum primum in hanc almam Urbem Nostram, Deo bene juvante, salvi et incolumes post quatuor mensium iter ad visendos carissimos Pontificiæ Nostræ Ditionis populos susceptum reversi sumus, nihil certe Nobis jucundius quam Vos alloqui, Venerabiles Fratres, ut præcipui Nostri erga Vos amoris officiis fungamur, ac simul egregiam ac perspectam vestram religionem excitemus ad immortales una Nobiscum gratias agendas miserationum Domino, qui Nostro itineri benedicens divina sua clementia effecit, ut lætissimos ex illo fructus perciperemus. Ex hac enim urbe, veluti probe nostis, profecti, ut in primis pro singulari Nostra erga Immaculatam, Sanctissimamque Dei Genitricem Virginem Mariam pietate religiosissimum, augustissimumque Lauretanum Templum venerabundi adiremus, alias quoque invisimus civitates quibus Lauretum itur, ac deinde primarias præsertim Pontificiæ ditionis civitates in Umbria, Piceno, Æmilia, Patrimonio ceterisque Provinciis sitas in Nostri itineris progressu peragravimus. Equidem non potuimus non vehementer lætari, et humillimas clemen-

tissimo bonorum omnium largitori Deo persolvere gratias, propterea quod universi, quos perlustravimus, populi tam egregios pietatis sensus Nobis manifestare, atque ita huic Apostolicæ Sedi se addictos ac devotos ostendere lætati sunt, ut hoc Nostrum iter sanctissimæ nostræ religionis perpetuus solemnisque videretur triumphus. Ubique enim non solum spectatissimi vestri Collegæ S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, aliique singularum Diœcesium Sacrorum Antistites, et ecclesiastici viri, ac Magistratus et Optimates eximium suum erga Nos, et eamdem Sedem amorem et obsequium splendidissimis quibusque modis palam publiceque profiteri gloriabantur, verum etiam quacumque transivimus, omnes omnium locorum, omnes omnium ordinum, omnes omnium ætatum in publicas etiam vias certatim effusi tam ingentibus lætitiæ plausibus, tamque miris filialis observantiæ significationibus in persona humilitatis Nostræ suam erga Christi hic in terris Vicarium venerationem, suamque erga proprium Principem fidem, pietatem omni studio ostendere, ac declarare gestiebant, ut sæpe lacrimas continere haud potuerimus. Ac vel maxime optaremus singulas hic civitates, oppida, populos, hominesque nominare, ipsisque meritas debitasque laudes tribuere, si præfinita huic Nostræ orationi brevitas id Nobis permitteret. Cum autem nihil profecto Nobis gratius esse posset, quam eorumdem populorum religionem, eorumque in hanc Apostolicam Sedem amorem tot luculentissimis sane modis testatum perspicere, tum pro paterni animi Nostri caritate omnes potissimum cujusque loci, et ordinis Magistratus quam libentissime allocuti sumus, qui peculiaria aliqua desideria, ac postulata ad proprias cujusque loci indigentias, atque ad commercii prosperitatem augendam dumtaxat pertinentia Nobis eo plane obsequio, ac ratione exposuerunt, quæ fidelissimos, et huic S. Sedi addictissimos subditos maxime decet. Neque omisimus multis in locis alacri libentique animo ea peragere, ac statuere, quæ ad ipsorum populorum religionem, ac pietatem magis magisque excitandam ac fovendam, atque ad majorem eorum in temporariis quoque rebus utilitatem promovendam, et commoda procuranda conducere existimavimus. Nun-

quam vero desinemus in humilitate cordis Nostri Deum enixe orare et obsecrare, ut tum populos, quos nuper invisimus, tum alios civili hujus Apostolicæ Sedis principatui subjectos uberrimis quibusque divinæ suæ gratiæ donis volens ac propitius semper cumulet, eosque sanctissima sua fide, spe, caritate, ac solida pietate, omnique vera virtute quotidie magis repleat, illorumque labores, industriam, commercium cœlesti suo favore dirigat, adjuvet, fortunet, ac det illis omnem de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam, et ipsos carissimos Nobis populos omnipotenti sua virtute a pestifera tot serpentium errorum contagione defendat, atque a nefariis impiorum hominum insidiis, fallaciis, et molitionibus tueatur, eripiat.

Jam vero si magna consolatione affecti fuimus dum inter Nostros carissimos populos versabamur, non minorem certe quidem lætitiam percepimus, cum Pontificiæ Nostræ ditionis fines prætergressi sumus. Namque, veluti quisque Vestrum, Venerabiles Fratres, optime noscit, plures clarissimi Principes ad Nos venerunt filialem suam erga Christi Vicarium devotionem et observantiam testandi causa. Ac primo, dum Perusiæ diversabamur, adiit Nos Dilectissimus in Christo Filius Noster Carolus Archidux jussu augusti sui genitoris Leopoldi Etruriæ Magni Ducis : dum vero Pisauri eramus, ad Nos se contulit Dilectissimus item in Christo Filius Noster Maximilianus Archidux Austriæ. Cum autem Bononiæ moraremur, venerunt ad Nos Carissimus in Christo Filius Noster Ludovicus Bavariæ Rex Illustris, et Dilectissimus in Christo Filius Noster Robertus Parmensium Dux, ejusque lectissima Mater, quæ modo illum Ducatum regit, ac Dilectissima in Christo Filia Nostra Bituricensis Ducissa, et Dilectissimi pariter in Christo Filii Nostri Leopoldus Etruriæ Magnus Dux, et Franciscus Mutinensium Dux cum universa eorum augusta Familia. Maximæ quidem jucunditati eorumdem Principum præsentia Nobis fuit, eosque omni Pontificiæ Nostræ benevolentiæ testimonio peramanter prosequuti sumus, cum illorum virtutes, ac merita magno in pretio semper habuerimus. Cum igitur hac occasione tum Magnus Etruriæ Dux, tum Dux Mutinensium ite-

ratis precibus a Nobis efflagitaverint, ut in ipsorum ditiones pergere vellemus, pientissimæ illorum voluntati perlibenter obsecundandum esse censuimus. Atque id eo facilius ac libentius agere potuimus, quod Mutina a Pontificiæ Nostræ ditionis finibus quinque millia passuum circiter distat, Etruria vero opportunius Nobis in hanc dilectam Urbem redeuntibus iter parabat.

Itaque ubi ad Mutinæ fines venimus, obviam statim habuimus eumdem Dilectissimum in Christo filium Nostrum Franciscum Mutinensium Ducem, qui a Nostro latere nunquam discedens Nos in principe sua Urbe magnifice ac splendide excepit, omnibusque filialis pietatis studiis et officiis est prosequutus. Aderant Nobis illius Ducatus Venerabiles Fratres sacrorum Antistites, Clerus, Magistratus, Nobilesque viri, qui clarissimis indiciis singularem suam erga Nos observantiam profiteri gaudebant, dum Mutinenses populi egregiam sui Principis ejusque augustæ Familiæ religionem mirifice imitantes omnia itinera eorum frequentia obsidebant, ac piis festivisque clamoribus supremi universæ Ecclesiæ Pastoris benedictionem suppliciter implorare nunquam cessabant.

Cum vero in Etruriam contendimus, ad illius fines Nobis obvii fuere Archiduces Ferdinandus et Carolus Magni Etruriæ Ducis filii ab ipso missi, ac Florentiam appetentes conspeximus ad Nos venientem ipsum Dilectissimum in Christo Filium Nostrum Leopoldum Etruriæ Magnum Ducem cum universa augusta sua Familia. Ipse Florentiam Nos introduxit, ac Nostro lateri continenter adhærens per omnes Magni Ducatus sibi subjecti a Nobis peragratas civitates assidue Nos est comitatus, ac splendido apparatu excepit, maximisque singularis pietatis, obsequii ac munificentiæ significationibus cumulavit. Omnes vero Etruriæ Venerabiles Fratres Archiepiscopi, Episcopi; et universus Clerus, Collegia, Magistratus, Optimates modis omnibus suum erga Nos obsequium testari lætabantur, ac non solum Florentiæ, sed etiam, quacumque incedebamus, omnes Etruriæ populi illustria sui Principis, ejusque Regiæ Domus exempla sectantes, atque ex omnibus civitatibus, oppidis, ac vel ipsis agris turmatim prodeuntes

tanto fidei, religionisque sensu, tantaque acclamatione Summum totius Ecclesiæ Pontificem videre, colere, ejusque Benedictionem poscere avidissime exoptabant, ut paternus animus Noster non potuerit non vehementer commoveri. Quæ dum cursim commemoramus misericordissimæ Dei clementiæ ac bonitati humillimas agimus gratias, quod singulari suo beneficio ubique adeo religiosos sensus deprehendimus, nihilque Nobis tribuentes, omnia ad ipsius Dei laudem et gloriam referimus, ac pium populorum affectum obsequiumque summopere gratulantes eo unice gaudemus, quod in persona humilitatis Nostræ « ille intelligatur, ille « honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum com« mendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cujus dignitas « etiam in indigno hærede non deficit[1]. »

Nunc vero silentio præterire non possumus singularem sane observantiam, ac lætitiam, qua hic Nobis penitus dilectus Clerus Populusque Romanus Nos redeuntes accepit. Nostis enim qua frequentia extra urbem omnes cujusque ordinis et gradus Nobis obviam occurrerint, quique intra urbem concursus fuerit, et quæ undique consonæ gratulantium, et Pontificiam Benedictionem implorantium voces, quæque insignes publicæ exultationis significationes. Ac si jucundum Nobis accidit exterarum gentium Oratores, et Ministros apud Nos, et hanc S. Sedem morantes iterum videre; jucundissimum certe quidem Nobis fuit Vos omnes denuo præsentes intueri, alloqui, et amanter complecti, Venerabiles Fratres, qui Nostrorum consiliorum et laborum socii estis, atque participes.

Nostræ autem consolationi cumulum attulit lætissimus sane dies hujus mensis octavus Deiparæ Virginis Natali sacer, quo Nos vestri amplissimi Ordinis corona cincti, adstantibus iisdem exterarum gentium Legatis, Nostrisque Antistibus, et Magistratu

---

[1] *S. Leo.* Serm. III, c. 4, in die anniv. suæ Assumpt. ad sum. pontificat.

Romano, in ædibus Hispanæ Legationis, jussu Carissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Elisabeth Reginæ Catholicæ, et cura Dilecti Filii Nobilis Viri Alexandri Mon Majestatis Suæ apud Nos et hanc S. Sedem Oratoris, splendido planeque regio apparatu ornatis, lustravimus solemni ritu monumentum catholici orbis ære in hispaniensi hujus urbis foro excitatum ad perpetuam memoriam Dogmaticæ Definitionis, quam tres fere abhinc annos de Immaculata Sanctissimæ Dei Matris Virginis Mariæ Conceptione in Patriarchali Basilica Vaticana, Vobis, et quamplurimis catholicæ Ecclesiæ sacrorum Antistibus præsentibus, cum incredibili animi Nostri gaudio, universo catholico orbe exultante, pronuntiavimus. Optime enim memineritis, Venerabiles Fratres, quantus omnium ordinum et ætatum concursus ad sacram illam cæremoniam commemorato die factus fuerit, et quæ effusa et undique redundans omnis generis multitudo in illud forum omnesque adjacentes vias convenerit, quibusque piis faustisque acclamationibus Populus Romanus pro sua magna, qua semper enituit, erga Sanctissimam Dei Genitricem, omniumque nostrum amantissimam Matrem devotione et affectu egregios suæ fidei, religionis, ac pietatis sensus ore, oculis, manibus ostendere, declarare, ac testari non desisteret.

Quæ cum ita sint, Venerabiles Fratres, laudem Domini loquatur os nostrum, et anima, spiritus ac lingua nostra benedicat nomen sanctum Ejus, propterea quod singulari suo beneficio sanctissima Ejus fides ac religio in populorum animis feliciter viget, non vero defecit, quemadmodum vellent Dei hominumque hostes, qui Satanæ administri ambulantes in impietatibus suis divinam nostram fidem religionemque usquequaque tollere conantur, neque erubescunt impie ac stulte asserere, catholicæ religionis tempus abiisse. Sed illorum desiderium peribit, atque nefarii multiplicesque eorum conatus irriti semper erunt. Catholica namque religio ad hominum salutem e cœlo in terram delapsa divinis undique circummunita præsidiis, et cœlestium divitiarum ditata thesauris, nulla unquam neque temporis diuturnitate, neque rerum vicissitudine potest labefactari; sed omnia

perpetuo vincens certamina, ac de suis hostibus triumphans, omni tempore stabilis, immota et invicta persistet usque ad consummationem sæculi, et portæ inferi adversus eam prævalere nunquam poterunt.

Verum ne intermittamus, Venerabiles Fratres, in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione a divite in misericordia Deo humiliter enixeque efflagitare, ut divina sua gratia in omnibus universi orbis populis sanctissimæ suæ fidei et religionis spiritum, amoremque magis in dies tueatur, excitet, augeat, ac eos omnes cœlesti sua ope adjuvet, roboret, atque confirmet, qui in pastoralis nostræ sollicitudinis partem vocati maxima vigilantia, studio, ac labore in sempiternam hominum salutem procurandam incumbere debent; et ne desinamus unquam ab ipso clementissimo Domino summis assiduisque precibus exposcere, ut omnipotenti sua virtute omnes miseros errantes ad veritatis, justitiæ, ac salutis semitas reducat.

Et quo facilius Deus Nostris, vestrisque annuat votis, ad universæ Ecclesiæ preces confugere censuimus. Quamobrem hic sermonem Nostrum ad omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, et alios locorum Ordinarios convertimus, eorumque eximiam religionem ac pietatem summopere hortamur, ut, si ita opportunum in Domino existimaverint, pro eorum prudentia et arbitrio publicas in propriis Diœcesibus preces indicendas curent, quibus a Deo imploretur, ut Ecclesia sua sancta, ejusque salutaris doctrina ubicumque terrarum, cunctis amotis difficultatibus, majora in dies incrementa suscipiat, et prospere vigeat, ac dominetur, omnesque populi occurrant in unitatem fidei et agnitionis Domini Nostri Jesu Christi. Ut autem fideles ardentiori studio, atque uberiori fructu hisce precationibus instent, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, proferre et erogare statuimus. Quocirca plenariam Indulgentiam, intra temporis spatium ab eisdem Venerabilibus Fratribus locorumque Ordinariis præfiniendum, usque ad proximi futuri anni millesimi octingentesimi quinquagesimi octavi finem, et non

ultra, lucrandam tribuimus et largimur in forma Jubilæi, eodem plane modo, eisdemque facultatibus, quibus Jubilæum Nostris Encyclicis Litteris die vicesima prima Novembris Anni millesimi octingentesimi quinquagesimi primi datis et incipientibus « *Ex aliis Nostris Litteris* » universo catholico orbi concessimus.

II.

SS. DD. N. PII PP. IX, LITTERÆ ENCYCLICÆ,

DIEI 27 APRIL. 1859.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sancta Mater Ecclesia sacris hisce festisque diebus, Venerabiles Fratres, anniversaria Paschalis Sacramenti solemnia effusis gaudiis per universum orbem concelebrans in omnium fidelium suorum memoriam revocat lætissima verba suavissimæ illius pacis, quam unigenitus Dei Filius Christus Jesus Dominus Noster, devicta morte, dæmonisque eversa tyrannide, resurgens suis Apostolis Discipulisque frequenter amantissimeque nuntiavit, ecce tristissimus sane belli clamor inter catholicas gentes excitatus tollitur, omniumque auribus insonat. Nos igitur, cum licet immerentes vicariam hic in terris Illius geramus operam,

qui ex immaculata Virgine nascens pacem per Angelos suos annuntiavit hominibus bonæ voluntatis, quique resurgens a mortuis, et in cœlum ad Patris dexteram consessurus ascendens pacem reliquit Discipulis suis, haud possumus quin pro singulari ac prorsus paterna, quæ Nos erga catholicos præsertim populos urgèt, caritate et sollicitudine etiam atque etiam pacem clamemus, et ipsa Divini Nostri Reparatoris verba omnibus maxima animi Nostri contentione inculcantes sine intermissione repetamus : *Pax vobis, pax vobis!* Atque hisce pacis verbis Vos in sollicitudinis Nostræ partem vocatos peramanter alloquimur, Venerabiles Fratres, ut fideles vestræ vigilantiæ commissos pro eximia vestra pietate omni cura studioque excitetis ad preces Deo Optimo Maximo adhibendas, quo omnibus optatissimam suam pacem largiatur. Hac sane de causa Nos pro pastorali Nostro munere præcipere haud omisimus, ut in universa Pontificia Nostra ditione publicæ clementissimo misericordiarum Patri offerantur precationes. Illustria vero Prædecessorum Nostrorum exempla sectantes ad vestras, ac totius Ecclesiæ preces confugere constituimus. Itaque hisce Litteris a Vobis, Venerabiles Fratres, exposcimus, ut pro egregia vestra religione publicas in vestris Diœcesibus preces indicere quam primum velitis, quibus fideles Vobis concrediti, potentissimo Immaculatæ Sanctissimæque Deiparæ Virginis Mariæ patrocinio implorato, divitem in misericordia Deum enixe orent et obsecrent, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini Nostri Jesu Christi avertens indignationem suam a nobis, et auferens bella usque ad finem terræ, divina sua gratia omnium mentes illustret, omniumque corda christianæ pacis amore inflammet, atque omnipotenti sua virtute efficiat, ut omnes in fide et caritate radicati et fundati, sancta Ejus mandata diligentissime servent, ac peccatorum veniam humili contritoque corde efflagitent, et declinantes a malo, et facientes bonum per justitiæ semitas ambulent, et mutuam inter se caritatem continuam habeant, exerceant, atque ita cum Deo, cum semetipsis, et cum omnibus hominibus salutarem consequantur pacem. Nihil dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro perspecta vestra

erga Nos et hanc Apostolicam Sedem observantia hisce Nostris desideriis ac votis quam diligentissime obsequi studeatis. Ut autem fideles ardentiori studio et uberiori fructu instent precibus per Vos statuendis, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis tradidit Altissimus, proferre et erogare censuimus. Quocirca iisdem fidelibus tercentum dierum Indulgentiam in forma Ecclesiæ consueta concedimus toties lucrandam, quoties ipsi commemoratis precibus devote interfuerint, easque peregerint. Insuper, durante harum precationum tempore, eisdem fidelibus Plenariam largimur Indulgentiam semel tantum in mense eo die consequendam, quo ipsi sacramentali confessione rite expiati, sanctissimaque Eucharistia refecti aliquod templum religiose visitaverint, ibique pias ad Deum preces eumdem in finem effuderint. Denique nihil Nobis gratius quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur et confirmemus præcipuam, qua Vos omnes, Venerabiles Fratres, prosequimur benevolentiam. Cujus Nostræ in Vos studiosissimæ voluntatis pignus quoque sit Apostolica Benedictio, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus cujusque vestrum fidei traditis peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 27 Aprilis Anno 1859. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

III.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII
DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IX.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS
GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Qui nuper per Italiam erupit contra legitimos Principes seditionis motus in regionibus etiam Pontificiæ ditioni finitimis, nonnullas ex Provinciis Nostris quædam veluti incendii flamma pervasit; quæ quidem et funesto illo permotæ exemplo, et externis actæ incitamentis a paterno Nostro regimine sese subduxerunt, et vero etiam paucis adnitentibus id quærunt, ut italico illi subjiciantur Gubernio, quod per annos hosce postremos Ecclesiæ, ac legitimis illius juribus, sacrisque administris se gessit adversum. Dum Nos rebellionis hujusmodi actus et reprobamus, et dolemus, quibus quædam tantum populi pars turbatis in iisdem provinciis injuste adeo respondet paternis studiis, curisque Nostris, ac dum necessarium esse palam edicimus Sanctæ huic Sedi civilem principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit, quem quidem civilem Principatum extorquere eidem conniluntur vaferrimi hostes Ecclesiæ Christi, Vobis in tanto rerum turbine præsentes damus litteras, Venerabiles fratres, ut aliquod dolori Nostro solatium quæramus. Atque hac occasione Vos etiam hortamur, ut pro explorata pietate vestra, pro eximio erga Apostolicam Sedem, ejusque libertatem studio id præstandum curetis, quod olim Aaroni supremo Hebræorum Pontifici præscripsisse legimus Moysem (Num. Cap. XVI) *tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper pergens cito ad popu-*

lum, ut roges pro eis; jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævit ». Itemque Vos hortamur, ut preces fundatis quemadmodum sancti illi fratres, Moyses nimirum, atque Aaron, qui « *proni in faciem dixerunt : fortissime Deus spirituum universæ carnis, num aliquibus peccantibus contra omnes ira tua desæviet?* (Num. Cap. XVI.) Ad hoc scilicet, Venerabiles Fratres, præsentes Vobis mittimus litteras, ex quibus non parum solatii percipimus, quippe confidimus, desideriis Vos, curisque Nostris cumulate responsuros. Ceterum palam hoc profitemur, indutos Nos virtute ex alto, quam infirmitati Nostræ immittet fidelium precibus exoratus Deus quidvis discriminis, quidvis acerbitatis antea perpessuros quam Apostolicum ulla ex parte deseramus officium, ac quidquam admittamus contra juramenti sanctitatem, quo Nos obstrinximus, cum licet immerentes Supremam hanc Apostolorum Principis Sedem, arcem, propugnaculum Catholicæ fidei, Deo sic volente, conscendimus. In pastorali vestro tuendo munere omnia læta, ac felicia, Venerabiles Fratres, Vobis adprecantes, cœlestis auspicem beatitatis Apostolicam benedictionem, Vobis, gregique vestro peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 18 Junii Anno 1859. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

IV.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XX. JUNII M. DCCC. LIX.

Venerabiles Fratres,

Ad gravissimum, quo cum bonis omnibus propter bellum in-

ter catholicas nationes excitatum premimur, dolorem maximus accessit mœror ob luctuosam rerum conversionem ac perturbationem, quæ in nonnullis Pontificiæ Nostræ ditionis Provinciis nefaria impiorum hominum opera ac sacrilego prorsus ausu nuper evenit. Probe intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos dolenter loqui de scelesta sāne perduellium contra sacrum legitimumque Nostrum, et hujus Sanctæ Sedis civilem principatum conjuratione et rebellione, quam vaferrimi homines in eisdem Nostris provinciis commorantes tum clandestinis pravisque cœtibus, tum turpissimis consiliis cum finitimarum regionum hominibus initis, tum fraudolentis calumniosisque editis libellis, tum exteris armis comparatis et invectis, tum perversis quibusque aliis fraudibus, et artibus moliri, fovere, et efficere minime reformidarunt. Nec possumus non vehementer dolere, infestam hujusmodi conjurationem primum erupisse in civitate Nostra Bononiensi, quæ paternæ Nostræ benevolentiæ ac liberalitatis ornata beneficiis duos fere ab hinc annos, cum ibi diversati sumus, suam erga Nos et hanc Apostolicam Sedem venerationem ostendere, ac testari haud omiserat. Bononiæ enim die duodecima hujus mensis, postquam Austriacæ inopinato discesserunt copiæ, nulla interposita mora conjurati homines audacia insignes, omnibus divinis, humanisque proculcatis juribus, laxatisque improbitatis habenis, haud exhorruerunt tumultuari, atque urbanam cohortem, aliosque armare, cogere, educere, atque Cardinalis Nostri Legati ædes adire, ibique ablatis Pontificiis Insignibus eorum loco rebellionis vexillum attollere et collocare cum summa honestiorum civium indignatione ac fremitu, qui tantum facinus improbare, ac Nobis et Pontificio Nostro Gubernio plaudere haud extimescebant. Hinc ab ipsis perduellibus eidem Cardinali Nostro Legato profectio fuit denunciata, qui pro sui muneris officio tot scelestis ausibus obsistere, ac Nostram, et hujus Sanctæ Sedis dignitatem et jura asserere ac tueri minime prætermittebat. Atque eo sceleris et impudentiæ rebelles devenerunt, ut minime veriti sint gubernium immutare, et Sardiniæ Regis Dictaturam petere, et ob hanc caussam suos ad eumdem Regem deputatos mittere. Cum igitur Nos-

ter Legatus haud posset tantas impedire improbitates, easque diutius ferre et intueri, solemnem tum voce tum scripto edidit protestationem contra omnia quæ a factiosis hominibus adversus Nostra et hujus Sanctæ Sedis jura fuerunt patrata, ac Bononia decedere coactus Ferrariam se contulit.

Quæ Bononiæ tam nefarie peracta sunt, eadem similibus criminosis modis Ravennæ, Perusiæ et alibi flagitiosi homines communi bonorum omnium luctu agere minime dubitarunt, haud timentes posse suos impetus a Pontificiis nostris copiis reprimi ac refringi, cum illæ numero paucæ eorum furori et audaciæ resistere minime possent. Quocirca in eisdem civitatibus a perduellibus omnium divinarum, humanarumque legum conculcata auctoritas, et suprema civilis Nostra atque hujus Sanctæ Sedis oppugnata potestas, et defectionis erecta vexilla, et legitimum Pontificium gubernium de medio sublatum, et Sardiniæ Regis Dictatura petita, et Nostri Delegati publica emissa protestatione ad profectionem vel impulsi, vel coacti, et alia multa rebellionis admissa facinora.

Nemo vero ignorat quo isti civilis Apostolicæ Sedis principatus osores semper potissimum spectent, et quid ipsi velint, quid cupiant, quid exoptent. Omnes quidem norunt singulari Divinæ Providentiæ consilio factum esse, ut in tanta temporalium Principum multitudine et varietate Romana quoque Ecclesia temporalem dominationem nemini prorsus obnoxiam haberet, quo Romanus Pontifex Summus totius Ecclesiæ Pastor nulli unquam Principi subjectus supremam universi Dominici gregis pascendi, regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam per universum qua late patet orbem plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies propagare, et variis fidelium indigentiis occurrere, et opportuna flagitantibus auxilia ferre, et alia omnia bona peragere posset, quæ pro re ac tempore ad majorem totius christianæ reipublicæ utilitatem pertinere ipse cognosceret. Infestissimi igitur Romanæ Ecclesiæ temporalis dominii hostes civilem ejusdem Ecclesiæ, Ro-

manique Pontificis principatum cœlesti quadam rerum dispensatione, et vetusta per tot jam continentia sæcula possessione, ac justissimo quovis alio optimoque jure comparatum, et communi omnium populorum et Principum vel acatholicorum consensione uti sacrum inviolatumque Beati Petri patrimonium semper habitum ac defensum invadere, labefactare, ac destruere connituntur, ut, Romana Ecclesia suo spoliata patrimonio, Apostolicæ Sedis, Romanique Pontificis dignitatem, majestatemque deprimant, pessundent, et liberius sanctissimæ religioni maxima quæque damna, ac teterrimum bellum inferant, ipsamque religionem, si fieri unquam posset, funditus evertant. Huc sane semper spectarunt ac spectant nequissima illorum hominum consilia, molitiones et fraudes, qui temporalem Romanæ Ecclesiæ dominationem convellere exoptant, veluti diuturna ac tristissima experientia omnibus clare aperteque demonstrat.

Quamobrem cum Nos Apostolici Nostri muneris officio, solemnique juramento adstricti debeamus religionis incolumitati summa vigilantia prospicere, ac jura et possessiones Romanæ Ecclesiæ omnino integras inviolatasque tueri, et hujus Sanctæ Sedis libertatem, quæ cum universæ Ecclesiæ utilitate est plane conjuncta, asserere et vindicare, ac proinde ipsius Principatum defendere, quo ad liberam rei sacræ in toto terrarum orbe procurationem exercendam Divina Providentia Romanos Pontifices donavit, illumque integrum et inviolatum Nostris Successoribus transmittere, iccirco non possumus non vehementer damnare, detestari impios nefariosque perduellium subditorum ausus, conatus, illisque fortiter obsistere.

Itaque postquam per reclamationem Nostri Cardinalis Secretarii Status missam ad omnes oratores, Ministros et negotiorum Gestores exterarum Nationum apud Nos, et hanc S. Sedem nefarios hujusmodi rebellium ausus reprobavimus ac detestati sumus, nunc in amplissimo hoc Vestro Consessu, Venerabiles Fratres, Nostram attollentes vocem majori qua possumus animi Nostri contentione protestamur contra ea omnia, quæ perduelles

in commemoratis locis agere ausi sunt, et Suprema Nostra auctoritate damnamus, reprobamus, rescindimus, abolemus omnes et singulos actus tum Bononiæ, tum Ravennæ, tum Perusiæ, tum alibi ab ipsis perduellibus contra sacrum legitimumque Nostrum, et hujus S. Sedis Principatum quovis modo factos et appellatos, et eosdem actus irritos omnino illegitimos, et sacrilegos esse declaramus, atque decernimus. Insuper in omnium memoriam revocamus majorem excommunicationem, aliasque ecclesiasticas pœnas et censuras a sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum Tridentini præsertim (Sess. 22, cap. 11. de Reform.) decretis inflictas, et ulla absque declaratione incurrendas ab iis omnibus qui quovis modo temporalem Romani Pontificis potestatem impetere audeant : in quas proinde eos omnes misere incidisse declaramus qui Bononiæ, Ravennæ, Perusiæ, et alibi civilem Nostram, et hujus Sanctæ Sedis potestatem, et jurisdictionem, ac Beati Petri patrimonium opera, consilio, assensu, et alia quacumque ratione violare, perturbare, et usurpare ausi sunt.

Dum vero officii Nostri ratione compulsi hæc non levi certe animi Nostri dolore declarare, et edicere cogimur, miserrimam tot filiorum cæcitatem illacrimantes a clementissimo misericordiarum Patre humiliter enixeque exposcere non desistimus, ut omnipotenti sua virtute efficiat, ut quamprimum optatissimus illucescat dies, quo et ipsos filios resipiscentes, atque ad officium reductos iterum paterno sinu cum gaudio excipere, et omni perturbatione sublata ordinem tranquillitatemque in tota Pontificia Nostra ditione restitutam videre possimus. Hac autem in Deo fiducia suffulti ea quoque spe sustentamur fore, ut Europæ Principes, uti antea, ita hoc etiam tempore suam omnem operam in temporali Nostro, sanctæque hujus Sedis principatu tuendo, et integre servando consociatis studiis consiliisque impendant, cum eorum cujusque vel maxime intersit, Romanum Pontificem plenissima frui libertate, quo Catholicorum conscientiæ in eorumdem Principum ditionibus commorantium tranquillitati rite consultum sit. Quæ quidem spes augetur, propterea quod Gallicæ copiæ in Italia

degentes, juxta ea quæ Carissimus in Christo Filius Noster Gallorum Imperator declaravit, non modo nihil contra temporalem Nostram et hujus S. Sedis dominationem agent, immo vero eamdem tuebuntur atque servabunt.

V.

EPISTOLA

SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

AD

OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, VICARIOS APOSTOLICOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, ETC., ETC., ETC.

Septem ab Urbe passuum millibus in via, quam Nomentanam appellant, maxima cum bonorum omnium lætitia, plurimoque Christianæ pietatis incremento duobus ab hinc annis effossa atque detecta fuere basilica et cœmeterium Alexandri Pontificis, Eventii, et Theoduli, qui pro Christi fide sanguinem invicte fuderunt. Hæc sane inventio prorsus inexpectata novum tamquam ornamentum accessit ad præclarum illum triumphum, qui nostra ætate Catholicæ Ecclesiæ divinitus erat reservatus. Tunc enim aderant Romæ complures sacrorum Antistites, quos Dominus Noster Pius IX desideratissimum Immaculatæ Virginis Deiparæ dogma singulari certe Omnipotentis Dei beneficio pronuntiaturus ex dissitis et longinquis terrarum orbis regionibus ad Petri cathedram convocaverat. Hi profecto ex effossionis tam prospere susceptæ nuncio non mediocrem cum Pontifice ceperunt voluptatem. Namque ipsos non præteribat quantum sacri hujus re-

cessus inventio conferret et ad fidelium mentes magis magisque illustrandas, et ad veritatem tum ecclesiasticæ historiæ, tum veteris disciplinæ testandam, etiam invitis illis, qui ab vera majorum fide misere discesserunt.

Quidquid enim adhuc integri atque incorrupti in sacris hisce penetralibus extat, invictissimis testimoniis sub admirantium oculos ponit sacrorum rituum originem, Martyrum invocationem, sanctis ipsorum lipsanis honorem tributum, salutis æternæ fiduciam, eorumque præsentissimam precum virtutem, qui in osculo Domini diem obierunt supremum. Huc accedit vehemens quod apparet desiderium prope Martyrum trophæa in pace quiescendi, liturgicæ Christiani templi partitiones, itemque variis inscripta lapidibus Ecclesiastica Hierarchia ab Episcopatus fastigio et dignitate ad Subdiaconatum usque, atque etiam ætatula Deo devota.

Neque silentio præterire possumus, non modo ædificii in crypta erecti reliquias, sed vel ipsam cryptam temporis injuriis tot sæculorum lapsu restitisse. Videre licet adhuc Altare, quod super SS. MM. Alexandri et Eventii sepulcra Christiana pietate fuit ædificatum, loculos, inscriptiones, et quidquid antea ibi actum et dispositum fuit, quæ omnia ad hæc usque tempora ita integra servantur, ut in mentem facile revocent illustria illorum heroum gesta, qui, laboribus et tormentis pro nihilo habitis, Evangelii lucem undequaque diffundere non dubitarunt. Suavitate perfundat animum oportet quisquis sacros illos recessus invisens sequentia legat verba manu Christiana calci insculpta, charitate, spe, et fide plena : *Vivas in Christo Deo in pace : Pro Silvina ora : Cum Alexandro deprecare.* Ac præter alios dignus est qui memoretur hic lapis figuris ornatus : *Sabiniane, spiritus tuus cœlestibus fruitur bonis;* in eo scilicet expressa conspicitur paradisi figura, in quo anima columbæ similis inter flosculos peramanter vagatur. Aliquibus in sepulcris reperiuntur ampullæ adhuc sanguine conspersæ, et una cum his interdum etiam fictiles lucernæ calci affixæ, et adeo solo proximæ, ut procul dubio dignoscatur non ad illustrandam cryptam, sed ad honorem Martyribus exhibendum ibi esse repositas. Hinc quamvis ista alias

inter cryptas possit recenseri, quas Prudentius in sacris penetralibus affirmat se invisisse, nobis tamen una cum Gaudentio liceat loqui : *tenemus sanguinem, qui testis est passionis.*

Nonnullis in locis non solum arcosolia, sed altaria simul et sepulcra conspiciuntur. Quod si nos latent eorum nomina, quibus tam conspicua monumenta exurgunt, nec illorum dum vita fruebantur cognoscimus facinora; satis superque nobis est de pio illorum obitu conjecturam ferre, statim ac animadvertamus specialem fidelium curam ac sollicitudinem, qua a reliqua Christi plebe sejuncti singulari honore et ritu conditi fuere.

Jam vero si tam excellentia hujusmodi monumenta, quæ hic posita sunt, atque ab edaci rerum tempore servata, si tam præclara vel ipsius Ecclesiæ ortus demonstratio talem ac tantam hisce locis reverentiam adtribuunt; quid dicendum si in memoriam revocemus Ecclesiasticam traditionem nullo unquam dilapsam ævo, sed perennem florentemque? Biscentum et amplius ab hinc annis Turrigius, vetustissimis quibusdam Martyrum actis innixus, suam protulit sententiam, hoc in loco tunc ignoto viæ Nomentanæ extare cœmeterium ad Nymphas, et Severæ prædium, quod Apostolorum Princeps incolebat, et ubi fidelibus baptismum ministrabat. Centum jam pene fluxere anni, ex quo Vincentius Alexander Constantius hujusmodi sententiam lubenter probavit. (De romano itinere, gestisque Principis Apostolorum pag. 382.)

Solum igitur illud, quo ad S. Alexandri cryptas aditus patet, illud profecto est, quod Apostolorum Princeps præsentia sua honestavit, quod ejus sacris insonuit sermonibus, quod nascentis Catholicæ Ecclesiæ incunabula suo sinu excepit. Atque ita deinceps Apostolicum opus, Petro jam in cœlis recepto, S. Alexander, qui sextus romana in cathedra sedit, invicto animo prosecutus, hic sui ministerii causa inclito martyrio perfunctus est : quod historiam et traditionem splendida velut corona simul conjungit.

Ad hæc tam clara tam pretiosa nostræ religionis monumenta

magni civium concursus facti, ut SS. Martyribus honorem tribuerent, ac præter tot præstantissimos viros Romanus ipse Pontifex eo se contulit, qui heroicæ fidei trophæa avidissime undique circumspiciens, insolito quodam pietatis sensu commotus non potuit quin lacrimas funderet dum suavissima ad opportunitatem accommodata verba proferebat.

Tam singularis omnium pietas, ac mirabile in Martyros obsequium pati nequibat Basilicam itemque cœmeterium Alexandri Pontificis, Eventii, et Theoduli ita relictum diutius manere, et illo carere cultu atque nitore, quem sancta hujusmodi loca omnino postulant. Quare plurimi Christifideles vehementissimum, quo flagrabant significarunt desiderium super veteris Basilicæ ruinas novum splendidumque templum extruendi; eodemque tempore, ut aliqua saltem ex parte ingentibus suscipiendi operis impensis satisfacerent, quamdam pecuniæ vim obtulerunt S. Congregationi de Propaganda Fide, quæ sedulam operam continuo navat, ut non solum Martyrum sepulcra effodiantur, sed effossa maximo quo possint cultu et decore serventur. Cum itaque S. Congregatio probe intelligeret summam laudem Christiano nomini hujus templi ædificationem comparare, et in majorem Dei gloriam potissimum cedere ; petitionem lubentissime excepit, et ad Summum Pontificem statim detulit, qui primum adeo laudabile studium comprobavit, fovit, inflammavit, præterea quo verbis opera etiam responderet tria scutatorum millia ex suo ære benignissimus attribuit. Atque hic inserere libet et epistolam hac de re a Viro Eminentissimo Petro Marinio S. Congregationis OEconomiæ Præfecto ad Pontificem missam, ejusque responsum, quo melius intelligatur ejusdem Pontificis animus tum erga cœmeterium, opitulante Deo, nuper effossum, tum erga cætera quoque insignia religionis nostræ monumenta. Quoniam vero non Urbis tantum, sed et universi Orbis Christifidelibus cordi esse debet SS. MM. Alexandri, Eventii, et Theoduli cultum augere ; ita vos quoque etiam atque etiam hortamur et obsecramus, ut aliorum fidelium vestigiis insistentes aliquam in novi templi instaurationem pecuniæ opem conferre velitis, et operi tam pio

pro viribus conficiendo certatim occurratis, quo major Deo et his Martyribus gloria comparetur. Nomina eorum, qui aliquid vel minimum solverint, appositis ephemeridibus, si velint, vulgabuntur; sin minus, ephemerides utique silebunt; interim tamen stabit copiosa illa merces, quam DEUS O. M. ipsis in cœlo paraverit. Ubi denique instaurandum templum vel fini proximum, vel omnino absolutum fuerit, impensarum ratio quam diligentissime typis exhibebitur.

Datum Romæ ex Ædibus Sacræ Congregationis die XII Aprilis MDCCCLVII.

ALEX. CARD. BARNABO PRÆF.

CAJET. BEDINI ARCHIEP. THEBAR.

A Secretis.

PIO IX. PONT. OPT. MAX.

PETRUS S. NICOLAI IN CARCERE DIACONUS CARD. MARINIUS, PRÆFECTUS ŒCONOMIÆ S. CONGREGATIONIS

DE PROPAGANDA FIDE.

Ea est, PATER BEATISSIME, animi Tui magnitudo, eaque in sacris rebus juvandis, fovendis, honestandis sollicitudo impensissima atque voluntas, quæ nullum jam hominem lateat, nullique silentio prætereatur, sed longe lateque ubique terrarum maximo, quo decet, celebretur encomio.

Nulli proinde mortalium in ambiguo esse potest, quin Tu libentissime, ut assoles, in Te unum conferres, munificentiæque

Tuæ vindicares ea omnia, quæ ad instaurandum exornandumque Oratorium S. Alexandri, decessoris Tui ab Petro Sexti, quoquo modo pertineant, si hujusce operis sumptus et cura Tuæ tantum Providentiæ desideraret auxilium. Ecquid enim pietate Tua, ecquid liberalitate dignius videri potest, quam fortissimi Christi martyris fovere memoriam, ejusque cultum, magnum jam inde a prædecessoribus Tuis acceptum, majorem auctioremque posteritati mandare? Cujus quidem sepulturæ locus, diuturna temporum injuria sublatus, ac pene deletus, quarto demum ab hinc anno, supra spem atque expectationem hominum, divinaque, ut arbitror, ope juvante, Via Nomentana, VII ab Urbe lapide repertus, atque in apricum prolatus, pia rursum lumina exoptatissimo recreavit aspectu. Quo reapse loco nil sanctius usquam inveniri potest; siquidem eo primores Christi fideles *ad Alexandrum* conventus suos agerent, ad divini cultus mysteria seorsum celebranda; pandatque ibidem subterraneos illos ac luce carentes anfractus, flexis omnino genubus inambulandos, antiquissimum cœmeterium, tot beatorum martyrum sanguine imbutum, tot primævæ Ecclesiæ vestigiis, pignoribusque ditatum!

Attamen, cum egregiæ adeo pietatis propositum opus et videatur et sit, quæ ad illud collatis largitionibus participandum piorum hominum desideria convertere possit, si universis Christifidelibus hujusce muneris pars obeunda relinquatur, Teque etiam, Auspice, permittatur, id sane novo quodam Tuæ, quæ in totum redundat orbem, charitatis exemplo factum nullus abnuet, neque non sentiet, quo Tuos cunctos in Christo filios in meriti gratiæque communionem vocaveris, ac beneficio devinxeris immortali. Quod quidem omni ex parte summis laudibus efferendum, eo etiam opportunius, ac magis ex sententia continget, quod Sacræ illi ædi, dum proferretur in lucem, testes aderant amplissimi, dignoque illam cultu prosequebantur quotquot Christi gregis Antistites, Tuo nutui obsequentes, in Urbem convenerant, ad Actum Catholicæ Ecclesiæ in perpetuum memorabilem præsentia sua decorandum : qui omnes impigre suppetias venient, prout ipsimet dum Romæ subsisterent, ultro innue-

runt; eruntque laudabilis adeo incepti fautores addictissimi, dummodo ad sacrum hoc negotium pro sua parte inchoandum singuli universique excitentur. Præterea, quin desint, adsunt imo etiam, favente Deo, bene multi qui divitiis æque ac pietate pollentes, una cum piissimo imperatore Theodosio gestiant exclamare : *gloriari ex Fide volumus.*

Quod itaque Beatitudini Tuæ fortasse cederet injucundum, reliquum si nempe spatium Tibi esset coarctandum, quod flagrantissima charitas Tua continuis maximisque largitionibus amplexatur; quodque S. Congregationi *de Propaganda Fide* onerosius fortasse videri posset, si largiores nimirum opes ab sua longe maxima, principique cura distraherentur; id utrumque ad hunc, quem innuimus, modum vitari sanarique posse, controversia non est : cum præsertim eam ineundum consilium præseferat rationem, quæ et majestatem Apostolicæ Sedis tueri possit, ac novum Relligioni decus sit indubie paritura.

Quarum rerum si ratio habeatur, id in tuto positum apparebit, sacrum hoc opus, quod enixe paramus, nullum, nisi prosperum exitum fore habiturum, adjuvante præsertim Deo, Ejusque in terris Vicarii benedictione pro felici successu quodammodo vadimonium sistente. Exinde Cardinalis Præfectus OEconomiæ S. Congregationis *de Propaganda Fide*, ad quam pertinet latifundium, tam sacro pignore feliciter collustratum, Oraculum solemne Sanctitatis Tuæ submisse ac obsequenter expectat, ex quo normam accipiat ad totius operis rationem instituendam; quemadmodum et ex Beatitudine Tua in eum jampridem derivavit impulsus ad hasce effossiones promovendas, quæ mirum in modum sacræ vetustati, orthodoxæque Fidei beneverterunt.

Quod superest, humiliter ad Sacratissimos Pedes provolutus, Apostolicam adprecatur benedictionem.

DILECTO IN CHRISTO FILIO

PETRO SANCTI NICOLAI IN CARCERE,

DIACONO CARDINALI MARINIO,

PRÆFECTO ŒCONOMIÆ S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE;

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Dignum sane pietate tua existimavimus, idemque Nobis maxime cordi fuit, sedulam adeo te curam agere de restituendo exornandoque Oratorio ac Cœmeterio Beati Alexandri, Via Nomentana, septimo ab Urbe lapide priscis olim fidelibus excitato. Beati scilicet Alexandri, qui vetustissimis Ecclesiæ temporibus ad supremi Apostolatus apicem evectus, Evangelicæ veritatem doctrinæ testimonio sanguinis confirmando, eximium huic Sanctæ Sedi decus attulit ac triumphum paravit. Cujus proinde sacratissimæ exuviæ, inter tot alias fortissimorum Christi athletarum relliquias, eo prorsus loco fuerant in pace compositæ, qui locus hisce demum temporibus in amissam diu lucem, egesto solo, prolatus, non modo Christiani populi sibi vindicat admirationem et cultum, sed et affulget catholicæ Fidei splendidissimum lumen, quo Deus misericors eorum mentes perfundat, qui recto salutis tramite aberrant, atque in erroris nocte versantur.

Maximo itaque afficimur gaudio exaudientes, venerabili adeo monumento providas manus quamprimum admotum iri, ut piorum hominum cultui quam diutissime conservetur, atque in decus omnino redigatur antiquum. Quod quidem, ut sanctis felicibusque inchoetur auspiciis, ac, nulla uspiam re moram, neve obstaculum injiciente, bene prospereque absolvatur, ab æterna Dei Providentiâ effusissimis precibus imploramus. Quod superest, pias hasce sacrorum recessuum vestigationes, eorumque instaurationes, eo, quo par est, animo ac studio prosequentes (quippe quæ

non ad fidelium tantum cineres honorandos, sed etiam ad catholicam, ut prædicimus, Fidem eloquenti silentio asserendam plurimum conferant) sancto huic operi quam libentissime suppetias ferimus, eique trium millium Argenteorum summam addicimus, atque ex liberalitate nostra assignamus.

Gratissimum Nobis inceptum, atque universæ Christianæ reipublicæ summopere commendandum majori sane largitate prosequeremur, ni alia, eademque magna obversarentur animo, quæ nostris æque indigent curis, nostræque charitatis ope destitui nullo modo possunt. Quibus præcipue reliqua veterum christianorum cœmeteria sunt accensenda, illudque imprimis, quod Callisti nomine celebratur; in cujus hypogæorum venerabilibus cryptis undecim plane Summi Pontifices, ad exspectandum Resurrectionis diem, cum omni cultu fuere depositi.

Felices hujusce tui operis progressus, et quantopere à fidelibus universis, pietati tuæ morem gerentibus, collato ære subventum fuerit, maturo tempore lubenti animo cognoscemus. Qui quidem Christi fideles, ineffabili, ut plurimum, voluptate afficiuntur, siquando sacratas eas latebras adeant, martyrum exuvias veneraturi; quique etsi primævæ illius venerandæque ruditatis speciem hisce monumentis nolint imminui, ea tamen provide instaurari atque in meliorem redigi formam eaque merito exoptant.

Apostolicam benedictionem tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur.

Datum Romæ ex Ædibus Nostris Vaticanis xv Kal. Junii MDCCCCLVI.

PIUS PP. IX.

VI.

De usu duplicis calicis, quando sacerdos eadem die duas missas celebrat.

(Ex decretis S. R. C. recentioribus.)

Dubium I. An retinendus sit usus qui dicitur vigere... in Gallicis diœcesibus, vel sit permittendus alibi, adhibendi scilicet ob

peculiares rationes duos calices quum sacerdos duas celebrat missas eadem die in ecclesiis longe dissitis ? — (℟ *Usum duorum calicum in casu posse permitti.*)

Dubium II. Et quatenus ob peculiares circumstantias hujusmodi usus retinendus sit, vel permittendus, quid servandum circa purificationem primi calicis, ut et reverentiæ sacramento debitæ consulatur, et sacerdos jejunus maneat pro secunda missa...? (℟ *Ad mentem. Mens est ut conficiatur Instructio.*)

INSTRUCTIO.

Quando sacerdos eadem die duas missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exindè super corporali ponat calicem, et palla tegat, ac junctis manibus in medio altari dicat : *Quod ore sumpsimus, etc.* et subinde aquæ vasculo digitos lavet dicens : *Corpus tuum, etc.* et abstergat. Hisce peractis calicem super corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiat, ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post hæc missam prosequatur, et completo ultimo evangelio, rursus stet in medio altari, et detecto calice inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacræ species primum sedulo sorptæ sint, tamen dum sumuntur, quum particulæ quæ circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat et superextantibus adhuc vini speciebus ex divino præcepto compleri debet.

Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquæ fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte qua sacrum Sanguinem biberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari discedat.

Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice dimissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat missam habiturus) et in secunda purificatione demittatur, vel gossipio, aut stupa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit exsiccanda relinquatur, vel dimittatur in piscinam.

Quum autem calix, quo sacerdos primum est usus purificatus jam sit, si ille ipso pro missa altera indigeat, eum secum deferat : secus vero in altera missa diverso calice uti poterit. Die 11 Martii 1858.

VII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IX.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS
GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Jesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum sævissimos pro nostra salute cruciatus, atrocissimamque

crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis, sanguinisque sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in cœlum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis præsentia, et tutissimo spiritualis vitæ præsidio communiret. Neque contentus nos tam insigni, ac plane divina dilexisse caritate, beneficia beneficiis cumulans, suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Namque se æternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in Catholica Ecclesia Sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem Sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati jugo, ac dæmonis captivitate vindicandum et redimendum in ara crucis, pretiosissimo suo sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terra, usque ad consummationem sæculi permanere decrevit, et quotidie fieri, ac renovari jussit per Sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suæ passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento Missæ sacrificio, quod conspicuo Sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quæ Deo Patri nos reconciliavit, quæque omnem merendi, placandi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens « illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur »[1]. Atque hæc est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse prædixit[2]. Quæ quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum

---

[1] S. Gregor. M. Dialog. lib. 4, cap. 58. — [2] Malach. cap. 1.

ubertate redundans præsentem æque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam, donumque pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium pœnarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animæ nondum ad plenum purgatæ sublevantur; ea obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis, et in primis Immaculatæ Sanctissimæque Dei Genitrici Virgini Mariæ eximius quidam honor, cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missæ sacrificium offerimus « pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima[1].

Cum igitur nihil sit majus, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missæ sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus Noster Jesus Christus Deo pro omnium salute in altari per Sacerdotes offertur, et immolatur, iccirco Sancta mater Ecclesia tanto divini sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a Sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum cæremoniarum, ac rituum apparatu, cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et majestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quæ in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultæ continentur, contemplationem excitentur. Ac pari solli-

---

[1] S. Cyril. Hierosol. Cateches. 23 Mystag. 5 de sacra Liturg.

citudine, studioque ipsa pientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari, et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum Sacrificium frequentissime convenirent, præcipiens, ut eidem omnibus de præcepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud, oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam, omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

Jam vero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum Missæ sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curæ commisso, et hujusmodi obligationem ex Divino præcepto descendere juxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis, gravissimisque verbis edoceat « *præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum* « *cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre*[1]. » Notissimæ quoque Vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV Decessoris Nostri Litteræ die 19 Augusti anni 1744 datæ, quibus de hac obligatione copiose, sapienterque loquens, ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quæstiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos, aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missæ sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de præcepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis Diœcesibus dierum de præcepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de Sacro audiendo satisfacere deberent[2]. Non mediocri certe jucunditate perfundimur,

---

[1] Concil. Trid. Sess. 23, cap. 1. De Reformat.
[2] Bened. XIV. Litt. Encycl. « Cum semper oblatas » Die 19 Augusti 1744.

Venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum Diœcesium statu cum summa vestri nominis laude, ac pari animi Nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores hujusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex præcepto servantur, diebus quibus Missæ sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis jamdiu prætermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de præcepto erant colendi juxta Constitutionem felicis memoriæ Urbani VIII Decessoris pariter Nostri[1], et quibus hæc Apostolica Sedes annuens variis Sacrorum Antistitum postulationibus, ac præ oculis habens causas, rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de præcepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim hæc benigna Sanctæ Sedis Indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum Parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere qui ejusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis Nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes, ex hujusmodi prætermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum præsertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pon-

---

[1] Urban. VIII Constit. « Universa per orbem » Idib. Septembr. 1642.

tifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum petitionibus, ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis, et gravibus rerum temporum ac locorum rationibus permoti festos de præcepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Prædecessores Nostri in hisce Indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet prædictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII Constitutio plene vigeret, qua festi de præcepto dies servandi fuerant præscripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quæ potissima ritus pars est, animo præsertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem præ se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimæ esse interpretationis. Accedit etiam, ut hæc Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de hujusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas præsertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei propagandæ, sive Sacrorum Rituum, sive etiam per Sacram Pœnitentiariam sæpissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex præcepto dierum numero fuerant sublati.

Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S R.E. Cardinalibus Nostræ Congregationis Tridentinis Decretis tuendis, interpretandisque præpositæ, hanc Vobis, Venerabiles Fratres, Encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo, diligenterque observandam. Quamobrem hisce Litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc

servantur, tum illis etiam, qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc vero paterni animi Nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque præteritis omissionibus Auctoritate Nostra Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, Indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi hujusce Indulti beneficio perfrui pergant juxta tamen conditiones in Indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in parœciis, quas in præsentiarum regunt et administrant.

Dum autem hæc statuimus, et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut parochi majore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur serio considerantes uberrimam cœlestium præsertim munerum, ac bonorum copiam, quæ ex hac incruenti, divinique Sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curæ commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua hujus obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad hujusmodi obtinenda indulta, illis duntaxat exceptis, qui a Nostra Congregatione fidei propagandæ præposita

pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

Nihil plane dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum Diœcesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis quæ in hisce Nostris Litteris de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missæ sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus, ac denuo constituimus, volumus, præcipimus, et mandamus. Ac persuasissimum quoque Nobis est, Vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent quæ a Nobis in hisce Litteris statuta atque sancita sunt. Optamus autem ut harum Litterarum exemplar in Tabulario episcopalis cujusque vestrum Curiæ perpetuo asservetur.

Cum autem, Venerabiles Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missæ sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos præsertim, aliosque divini verbi præcones, et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari, ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis Sacrificii necessitatem, præstantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant, explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem Sacrificio ea qua par est fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum Diœcesium Sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitæ innocentia, sanctitate emineant, quæ illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum, tamque tremendum perficere Sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo Sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium quod acceperunt in Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis, ac cœlestis potestatis qua præditi sunt, virtutum omnium splen-

dore, ac salutaris doctrinæ laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum, divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Jesu in suo corpore semper circumferentes puris manibus, et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

Denique nihil Nobis gratius, Venerabiles Fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur, et confirmemus præcipuam, qua Vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam, ac simul Vobis addamus animos, ut majore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire, et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quæ ad majorem Vestram ac Diœcesium vestrarum utilitatem procurandam conducere posse noverimus. Interìm vero cœlestium omnium munerum auspicem, ac studiosissimæ Nostræ in Vos voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiæ commissis amantissime impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die III Maii Anno MDCCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

VIII.

Decretum S. C. Rituum quoad festum SS. Cordis Jesu.

URBIS ET ORBIS.

Ex quo Clemens Papa XIII festum in honorem Sanctissimi Cordis Jesu cum Officio et Missa nonnullis Ecclesiis celebrare permisit, ad immensam Divini hujus Cordis charitatem recolendam tanto ubivis ardore fideles populi se excitatos senserunt, ut nulla jam pene exstet Diœcesis quæ privilegium ejusdem festi peragendi ab Apostolica Sede se non impetravisse lætetur.

Id Rmi Galliarum Episcopi attendentes, ut festum fidelium animis adeo jucundum et in omni fere Catholico Orbe tam concordi pietate frequentatum ab universa prorsus Ecclesia amodo celebretur, humillima ea de re vota sua SSmo Domino Nostro Pio PP. IX per subscriptum Cardinalem, cum nuper in Galliis Legati a Latere munere fungeretur, subjici curarunt. Occasionem namque sibi datam lubenti animo arripientes publicum ac solemne in persona Cardinalis Legati testimonium exhibendi suæ erga Sedem Apostolicam venerationis, ipsum Parisiis commorantem ingenti numero convenerunt, intimamque ac plenissimam adhæsionem suam Romano Pontifici veluti Catholicæ unitatis Centro et Jesu Christi in terris Vicario professi, ut festum Sacratissimi Cordis Jesu ad universam extendere dignaretur Ecclesiam enixis precibus postulavere.

Has autem preces florentissimi et Sedi Apostolicæ obsequentissimi Galliarum Episcopatus cum in Urbem regressus SSmo Domino Nostro subscriptus Cardinalis S. R. C. Præfectus retulisset, placuit Sanctitati Suæ illas clementer excipere, novaque cupiens præbere incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor Ejus qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo, Officium Sanctissimi Cordis Jesu pro Regno Poloniæ et Clero Urbis a S. R. C. probatum die 11 Maii anni 1765 cum respondente Missa *Miserebitur* in universa Ecclesia quotannis celebrari mandavit sub ritu duplici majore feria VI post Octavam SSmi Corporis Christi, servatis tamen rubricis, et firmis remanentibus, quoad Ecclesias privilegium habentes vel ampliore ritu, vel alia die, vel diverso Officio festum istud celebrandi, singularibus Indultis ab Apostolica Sede hucusque concessis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 23 Augusti 1856.
Locus sigilli.

C. Episc. Albanen. Card. PATRIZI S. R. C. Præfectus

H. Capalti S. R. C. Secretarius.

IX.

Decretum S. C. Rituum quoad preces pro supremo Imperante.

IMPERII GALLIARUM.

Quod Apostolus in prima ad Timotheum Epistola non hortatur solum, sed obsecrat, ut orationes, postulationes, gratiarum actiones fiant pro Regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ad quietam et tranquillam vitam in omni pietate et castitate agendam, id summus Pontifex Clemens XIII religiose adeo fideliterque retinuisse Ecclesiam Catholicam docet, ut omnipotenti Deo, per quem Reges regnant et legum conditores justa decernunt, sublimiores Potestates ipsa non commendaverit modo, verum etiam propria quarumdam nomina infra Missæ actionem sacris in diptychis recitari permiserit, earumque regionum consuetudines nunquam improbaverit, in quibus id more antiquissimo receptum fuisse constaret, dummodo de Regibus ageretur qui spiritum unitatis in vinculo pacis cum Ecclesia Romana servarent. (*Clemens XIII, in Brevi V Maii* 1761, *ad imperatricem Mariam Theresiam et in litteris encyclicis diei VI ejusdem mensis ad omnes Austriacæ ditionis Episcopos.*)

Cum itaque Galliarum Imperator *Napoleon III*, per suum in Urbe Legatum huic Sanctæ Apostolicæ Sedi exponi nuper fecerit, consuetudinem hanc nominandi Supremum Imperantem in Missæ canone a vetustissimo tempore, cujus originis memoria non est, in Galliis obtinuisse, moremque præterea antiquitus introductum ibidem vigere pro eodem Supremo Imperante singulares preces addendi, tum in missis solemnioribus per annum, necnon in missa præsanctificatorum, feria VI in Parasceve, tum in Præconio Paschali, die Sabbati sancti, atque in Litaniis sanctorum, cupiensque pios hujusmodi usus in toto Galliarum Imperio custodiri, et apostolica accedente auctoritate omnimodam firmitatem accipere, cum supplicia hac de re vota sua per eumdem Legatum

sanctissimo Domino nostro *Pio Papæ IX* fecerit exhiberi, Sanctitas Sua, post maturam deliberationem, Romanorum Pontificum decessorum suorum vestigia premens, qui supremos magnarum nationum Principes, Romanæ Divi Petri cathedræ communionis vinculo sociatos, similibus identidem non dubitarunt cohonestare privilegiis, istiusmodi votis benigne censuit annuendum, præfatosque usus, quibuscumque contrariis minime obstantibus, ratos habuit, et confirmavit, atque in omnibus et singulis diœcesibus intra fines Gallici Imperii constitutis servari præcepit.

Memor autem, quæ in Ecclesia fiunt, omnia ex Apostoli præcepto (I *Corinth.* cap. XIV, 40) honeste et secundum ordinem fieri oportere, prænotatas pro Supremo Principe preces ita in omnibus Galliarum ecclesiis recitari voluit, ut una eademque sit ubivis usurpanda methodus, servatis ad unguem præscriptionibus quæ sequuntur.

I. In Missæ canone nomen Imperatoris adjiciatur, hac adhibita formula *et pro Imperatore nostro* N... quæ dicenda erit post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi diœcesani.

II. In Missis solemnibus per annum, expleta antiphona quæ dicitur *Communio*, semel cantabitur versiculus *Domine, salvum fac Imperatorem nostrum, et exaudi nos in die qua invocaverimus te.* Recitatis deinde orationibus postcommunionis, illarum postremæ addetur, sub unica conclusione, sequens collecta :

Quæsumus, Omnipotens Deus, ut famulus tuus Imperator noster N..., *qui tua miseratione suscepit Regni gubernacula, virtutum etiam omnium suscipiat incrementa, quibus decenter ornatus vitiorum monstra devitare, hostes superare, et ad Te qui via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire. Per Dominum, etc.*

III. In Missa præsanctificatorum, feria VI in Parasceve, inter orationem pro cunctis Ecclesiæ ordinibus, et aliam pro catechumenis, hæc pro Imperatore dicatur :

Oremus et pro gloriosissimo Imperatore nostro N..., *ut Deus*

et Dominus noster det illi sedium suarum assistricem sapientiam, qua populum sibi commissum gubernet in omni justitia et sanctitate ad divinam gloriam, et nostram perpetuam pacem.

Oremus. Flectamus genua. ℟. *Levate.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus æterna potestate dominaris, respice ad Francorum benignus Imperium, ut et Imperator juste imperando, et populus fideliter obediendo ad gloriam tui nominis, et regni tranquillitatem unanimi pietate conspirent. Per Dominum, etc.

IV. Præconium Paschale, Sabbato sancto, hac ratione concludatur :

Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnemque Clerum, et devotissimum populum una cum Beatissimo Papa nostro N..., *et Antistite nostro* N..., *necnon gloriosissimo Imperatore nostro* N..., *quiete temporum concessa, in his Paschalibus gaudiis assidua protectione regere, gubernare et conservare digneris. Per Dominum, etc.*

V. In Litaniis sanctorum, cum deventum fuerit ad preces, inter versiculum *ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ, etc.*, et alium *ut Regibus et Principibus, etc.*, addatur ℣. *Ut Imperatorem nostrum custodire digneris,* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Item post psalmum *Deus, in adjutorium, etc.*, dicto versiculo *Oremus pro Pontifice nostro* N..., ℟. *Dominus conservet eum, etc.*, illico subjungatur :

℣. *Oremus pro Imperatore nostro* N...

℟. *Domine, salvum fac Imperatorem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te.* Denique absolutis precibus, immediate post orationem pro Papa adjiciatur superius notata collecta : *Quæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus Imperator noster* N..., *etc.*

Has itaque preces, quas juxta formam modo descriptam approbare Sanctitas Sua dignata est, ita et non aliter in toto Galliarum Imperio recitandas esse decrevit.

Inhærens autem constitutionibus Apostolicis prohibentibus ne in corpore Missalis et Breviarii Romani ullo pacto adjiciantur quæ, ex singulari privilegio, alicui tantum diœcesi, provinciæ vel regno pertinent, ut id quoad superius indultas preces stricte ab omnibus servetur in Gallia, jussit preces ipsas, una cum præsenti decreto, nonnisi in appendice Missalis et Breviarii Romani ad usum diversorum locorum destinata, vel in supplemento Missarum atque officiorum uniuscujusque diœcesis proprio, apponi debere.

Quo vero expositæ hucusque Pontificiæ suæ voluntatis ordinationes ad notitiam Episcoporum Gallici Imperii perveniant, et illorum quilibet in commissa sibi diœcesi, juxta debitum pastoralis officii, plenam earumdem ordinationum observantiam urgere possit, idem Sanctissimus Dominus noster præsens voluit a Sacra Rituum Congregatione edi decretum, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 septembris 1857.

C. Episcopus Albanens. Card. PATRIZI
S. R. C. Præfectus.

Locus sigilli.

H. Capalti, S. R. C. Secretarius.

IMPERII GALLIARUM.

Promulgato in Galliis decreto, hoc vertente anno, die 10 septembris, a Sacra Rituum Congregatione edito quo precum publicarum pro Imperatore recitandarum methodus et forma præscribitur, hæsitantes nonnulli Episcopi circa verum decreti ipsius sensum in articulo secundo, hæc proposuerunt dubia :

1° An in versiculo *Domine, salvum fac*, etc., quem prædictus articulus secundus recitari jubet in missis solemnibus, expleta communionis antiphona, adjici debeat nomen proprium Imperatoris post verba *Imperatorem nostrum*, prout hucusque fieri consuevit?

2° Quomodo intelligenda sit præscriptio dicti articuli secundi qua parte statuit versiculum *Domine, salvum fac*, etc., cantandum esse SEMEL. Num ita ut tantummodo a celebrante, seu clero, cantari debeat? An potius ita, ut semel quidem cantari debeat, sed juxta receptum morem alternatim et a celebrante, seu clero, et a populo?

His porro dubiis ad S. Rituum Congregationem pro opportuna declaratione delatis, eadem Sacra Congregatio respondendum censuit :

Ad primum, affirmative;

Ad secundum, negative quoad primam partem; affirmative, quoad secundam.

Hanc vero S. Congregationis declarationem, referente subscripto Secretario, sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX ratam habuit et confirmavit, eamdemque veluti partem præcitati decreti diei 10 septembris 1857, ab omnibus ad quos spectat, servari præcepit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 17 decembris 1857.

C. EPISCOPUS ALBANENS. CARD. PATRIZI

S. R. C. PRÆFECTUS.

Locus sigilli.

H. Capalti, S. R. C. Secretarius.

X.

Responsum S. R. U. Inquisitionis quoad usum matrimonii.

CONSULTATIO.— « Quæritur a Sede Apostolica qua nota theolo-« gica dignæ sint tres propositiones sequentes, nimirum :

« 1° Ob rationes honestas conjugibus uti licet matrimonio eo « modo quo usus Onan.

« 2º Probabile est istum matrimonii usum non esse prohibi-
« tum de jure naturali.

« 3º Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque
« sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive
« vir sive uxor, abutantur matrimonio. »

Responsum.

Feria IV, die 21 *Maii* 1851.

In congregatione generali S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, habita in conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis D. D. Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, propositis dubiis, ut supra, eidem Eminent. ac Reverend. rescribi mandarunt.

Ad 1m. *Propositionem esse scandalosam, erroneam, et juri naturali matrimonii contrariam.*

Ad 2m. *Propositionem esse scandalosam, erroneam, et alias implicite damnatam ab Innocentio XI, propositione* 49a.

Ad 3m. *Propositionem prout jacet falsam, nimis laxam, et in praxi periculosam.*

Angelus Argenti,

S. Romanæ et universalis Inquisitionis Notarius.

Locus sigilli.

XI.

S. R. U. Inquisitionis Encyclica ad omnes episcopos adversus magnetismi abusus.

Feria IV, die 30 *Julii* 1856.

In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. M. supra Minervam Emi ac Rmi DD. Cardinales in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravita-

tem Generales Inquisitores, mature perpensis iis quæ circa *Magnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi præsentes litteras encyclicas ad omnes Episcopos ad magnetismi abusus compescendos.

Etenim compertum est novum quoddam superstitionis genus invehi ex phænomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte, vel præstigio, præsertim ope mulierculaarum, quæ unice a magnetizatoris nutu pendent.

Nonnullæ jam hac de re a S. Sede datæ sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta, quæ ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum, ordinantur; unde in similibus casibus decretum est Feria IV, 21 Aprilis 1841 *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere*. Similiter quosdam libros ejusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia præter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulæ sic statutum fuit Feria IV, 28 Julii 1847. — *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum, et mediorum pure physicorum ad res, et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita, et hæreticalis.* —

Quanquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes magna cum animarum jactura ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi*, et *claræ intuitionis*, uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt,

ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte, vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum.

Igitur ad tantum nefas, et religioni, et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adjutrice gratia poterunt locorum Ordinarii, qua paternæ charitatis monitis, qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum temporumque adjunctis, expedire in Domino judicaverint, omnem impendant operam ad hujusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut Dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione præserventur.

Datum Romæ in Cancellaria S. Officii apud Vaticanum die 4 Augusti 1856.

V. Card. MACCHI.

INDEX RERUM.

TITULUS III. — De officiis Episcoporum et diversorum Ecclesiæ Ministrorum.

ERRATA.

Paginâ XIII, lineâ 12 : consummatur ; *lege :* consummetur.
— 99, l. 15, pro.......... præ.
— 103, l. 6, Cappuccinorum. Capuccinorum.
— 107, l. 28, obeundi....... abeundi.
— 142, l. 7, Martyros...... Martyres.